COMMENTARIUS PERPETUUS

IN

JACOBI EPISTOLAM.

COMMENTARIUS PERPETUUS

IN

JACOBI EPISTOLAM.

HERMANNI BOUMAN,

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. RHENOTRAIECT. PROF. ORD.,

COMMENTARIUS PERPETUUS

IN

JACOBI EPISTOLAM,

POST MORTEM AUCTORIS EDITUS.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM.

1865.

LUTONIUS BOUMAN,
Euangelii interpres in coetu Schiedamensi,

MARCUS JANUS BOUMAN,
Euangelii interpres in pago Hoevelaken,

LECTORI SALUTEM.

Non sine gravissimo doloris sensu hunc Commentarium in epistolam Jacobi in lucem edendum curavimus. Impensa nobis fuisset laetitia, si ipsi Scriptori, patri nostro, numquam non pie nobis colendo, hoc pensum perficere contigisset. At morte, quamvis non inopinata, id ipsi quod exoptatissimum erat non contigit.

Quae a Societate Teyleriana, anno 1862, praemio digna iudicata est diatribe, a viro plurimum venerando SEPP conscripta, ansam praebuerat defuncto librum edendi, quem inscripsit: De Godgeleerdheid en hare beoefenaars in Nederland, ge-

durende het laatste gedeelte der vorige en in den loop der tegenwoordige eeuw. Quo libro absoluto sponte natum est propositum, commentarium conscribendi in Jacobi epistolam. Vitam enim, perpetuo ac definito labore non occupatam, etiam rude donatus agere non potuit ille, qui temporis acti severam a se rationem deposcere consueverat.

Itaque manus labori admovit. Verum saepius in persequendo opere impediebatur vehementi corporis dolore et incredibili debilitatis sensu; ita ut multi nonnunquam dies praeterirent, quibus ab omni animi intentione desistere cogeretur. Vel sic tamen exeunte anno 1863 ipsum Commentarium ad finem perducere ei licuit.

Desiderabatur autem Introitus, quo, ex Clarissimi defuncti sententia, Commentarius ut rite intelligeretur carere non poterat. Et hoc opus incepit. Ne unus quidem dies fuit, quin nonnulla saltem ad absolvendum Introitum conscriberet, quem igitur ipsius Auctoris manu non elaboratum iri haud verisimile videbatur. Attamen, initio praesertim anni 1864, viribus perpetuo decrescentibus, in opere vix persistere potuit vir laboriosus.

Instabat iam superioris anni dies mensis Maii tertius decimus. Quem serus vesper vidit librorum, chartarum, scidularum magna copia instru-

ctum omnibus viribus scribendo incumbentem, quantopere sperabat ille, fore ut postridie mane laborem iam intermissum posset continuare. Non tamen eaedem, atque ipsius, cogitationes erant Dei Optimi Maximi. Medio mensis Maii die decimo quarto morte nobis ereptus est, Commentarii Introitu minime ad finem perducto.

Ecquid nobis iam faciendum erat? Saepius significaverat Cl. defunctus, Commentarium a se conscriptum typis esse edendum, nisi alia suaderet Cl. DOEDES, Theologiae Professor Traiectinus, ipsius collega aestumatissimus. Cuius igitur audita sententia, iam in lucem prodit quod carissimus pater moribundus fere typis paravit opus.

Difficile sane nobis pensum peragendum erat, librum edendum curantibus ab ipso Scriptore non plane absolutum. At gratissimus tamen nobis acceptusque erat labor. Iam vero patris laudes a nobis efferri ne quis exspectet, quibus potius concedatur, verba referre Clarissimi DOEDES, quem nuper solenni Oratione, quam Academiae Rhenotraiectinae regundae munus ponens habuit, defuncti Collegae atque Praeceptoris memoriam ita celebrasse laetamur, ut cum veritati tum menti nostrae plane consentanea diceret atque eloqueretur.

Oratione illa iam in lucem edita, veniam a viro

Clarissimo petivimus, ea quae de carissimo defuncto publice dixerat, huic Praefationi inserendi. Qua facile nobis data, laborem nostrum multa difficultate liberatum videmus, quippe quibus persuasum sit, audita ut placuerunt, ita lecta magis placitura esse. Imo vero lectores nobiscum Auctori pro benevolentia sua grates acturos esse, non est quod dubitemus.

Haec igitur in laudata Oratione [1]) palam de Cl. defuncto nostro professus est Rector Magnificus.

HERMANNUS BOUMAN, Ydaardae in Frisia natus d. XI m. Februarii a. MDCCLXXXIX, a teneris inde discendi amore ac studio flagrans, corpore debilis, fortis animo, omni virium intentione literis puer iam operam dedit, iuvenis dare perrexit, ad ultimum vitae stadium non dare non potuit. Gymnasii Velavici alumnus — Harderovicum enim migravit pater, vir plurimum venerandus, ex Frisiae pago, ubi pridem Euangelium nunciaverat — egregia BOUMANNUS noster institutione usus est, cum GERARDI KNOOPII, tum IANI TEN BRINK. Quindecim annos natus, anno huius saeculi quarto, Academiae Gelricae civibus adscriptus, scholis se

1) De Libertate cum Theologiae, tum etiam Ecclesiae Christianae, strenue vindicanda. Trai. ad Rh. 1865, pag. 21 seqq.

tradidit virorum clarissimorum, qui tunc temporis illam ornabant. KEMPERUM audivit. IOHANNE HENRICO PARAVIO duce literarum orientalium cognitionem sibi comparavit. IOHANNIS CLARISSII discipulus fuit. Quid huic viro celeberrimo, huic praeceptori eximio BOUMANNUS debuerit, ipse, ut omnes norunt, saepius gratissimo animo significavit; quanti eum fecerit, in aeternam desideratissimi viri „memoriam" disertus scripto praedicavit. Egregie in suos usus convertit quaecumque per septem illos annos, quos in Academia degebat, ei suppeditarunt clarissimorum virorum institutio atque lectiones. Multifaria doctrinae copia instructus, literarum cum antiquarum, tum recentiorum valde peritus, theologus eruditus, stadio Academico peracto, in Euangelii antistitum ordinem receptus est, viginti tres annos natus. Per undecim annos verbi divini ministerio fungens, primum in coetu Oostermeeriensi-Frisio, deinde in ecclesia Finsterwoldensi, laboris patiens, iis, quorum pastor erat, omni modo prospiciens, gravissimo muneri totus fuit dicatus. Neque a literarum et theologiae studiis se detrahi sivit. Frisii nomine inclaruit! Ecce, Frisium, doctissimum illum operis Palmiani censorem, vocat Academia Traiectina. Latere diu non potuit is, qui se ostendere noluerat et vel sic con-

spicuus factus erat. Huc autem vocatus, ut Clarissimo GABRIËLI VAN OORDT successor daretur, dubius haeret vir non timidus, sed modestus. Dubitantem adhortantur amici, adhortatur in primis CLARISSIUS. Caetera novimus. Professoris Theologiae munere, quod anno huius saeculi vicesimo tertio auspicatus est, per trigenta sex functus est annos, usque ad annum, quo septuagenarius rude est donatus. Professor Traiectinus occasionem nactus, perpetuo in Theologiae atque literarum studio versandi, ea ita usus est, ut quam plurimis, in primis autem discipulis, futuris Theologis, omni quo posset modo prodesse studeret. Notum est, quantum se in scholis suis habendis, in Theologia Naturali exponenda, in Critica et Hermeneutica S. tradenda, in Exegesi cum N. tum V. Foederis tractanda, quantum aliis disciplinis tradendis se praestiterit. Egregie de viro Clarissimo scripsere collegae coniunctissimi TER HAAR et VAN OOSTERZEE[1]). Novistis virum, in laborando multum, in legendo insatiabilem, tenui corporis valetudine utentem, ingenii animique dotibus, iudicii acu-

1) Ille in *Calendario* Studiosorum Rheno-Traiectinorum, anni 1865, pag. 142 sqq., hic in *Vitis defunctorum*, Societati Literarum Neerlandicarum Leidensi dum vivebant adscriptorum, eiusdem Societatis Actis anni 1864 additis, pag. 261 sqq.

mine, doctrinae magna copia excellentem. Mirum quantum memoria tenuerit, quam suaviter ex doctrinae suae thesauris depromta cum aliis communicaverit, lubentissime, nisi patrium res postularet, latino, quem in deliciis habuit, utens sermone. Sacrorum librorum, in primis Novi Foederis, neque minus Veteris interpres fuit acutissimus, quod probarunt lectiones eius hermeneuticae et exegeticae, per longam annorum seriem habitae; quod probat etiam commentarius perpetuus in Iacobi epistolam, prelo a sene venerabili paratus, cuius tamen commentarii introitum, eheu, non absolvit. Quanti historica studia fecerit, testantur eius scripta, testabantur quas de Philosophiae de Deo historia habere solebat lectiones. In primis praestantiorum virorum vita narranda delectabatur. Ipsum audiatis loquentem. „In permultis illis ac diversissimis," inquit, „quas vel inquirendo persequi possumus vel scribendo, late patentis Historiae partibus, nulla facile mihi esse videtur et ad cognitionem iucundior, et ad narrationem suavior, et ad imitationem fructuosior, et ad omnem vitae usum uberior, quam quae versatur in singulorum hominum, hac illave virtute excellentium, fatis informandis et rebus gestis et vero characteribus." — Quid mirum, in hoc scribendi genere

multum fuisse virum, quem aliquando dicere meministis: „Militum quidem animos, quamvis feroces ac bellis efferatos, sodalibus, qui eadem in acie eosdem adversus hostes depugnaverant, prostratis caesisque, vehementius subinde commoveri novimus. Nobis igitur, quorum mentes mitiora ac sanctiora studia ad maiorem flectere ac componere lenitatem atque humanitatem par est, nonne dedecori esse ac turpe censendum est, ita sociorum oblivisci, ac si „soporiferae biberimus pocula Lethes"? — Accessit, quod gratus eum animus ad scribendum haud raro impelleret, quum iustae virorum praestantissimorum existimationi aliquid detractum esse existimaret. Ex hoc defunctos pie colendi studio originem ducunt Memoria JOHANNIS CLARISSE, Theologi; Chartarum Theologicarum pars haud exigua; eximia Academiae Gelricae eiusque Professorum historia; ipsumque illud studium eum incitasse videtur, ut librum conscriberet, quo ageret de Theologia, iisque viris, qui eam in Neerlandia coluerunt sub finem superioris saeculi atque hoc nostro saeculo. Sunt qui se laudari ab hominibus ament, neque tamen ipsi ad alios laudandum proclives esse videantur. Sunt, qui alios laudent, ut ipsi laudentur; quibus notum illud: „si vis amari ama," idem valet atque: „si vis laudari

lauda;" „si vis ut tibi adulentur, ipse adulare aliis." Non item BOUMANNUS. Laudabat ut laudaret, ut debitas solveret laudes. BOUMANNO, bonorum virorum laudibus suum tribuenti pretium, easque, meritas scilicet, sibi honori esse existimanti, gratum erat atque dulce, data aut arrepta occasione praeceptorum, collegarum, aequalium, fato functorum, laudes dicere eorumque in disciplinam theologicam, philosophicam, historicam merita celebrare. Viros egregios laudatore destitui atque carere, qui ipsorum res gestas librosque ab oblivione vindicaret, nefas ei videbatur, iis parentare religio ei erat. Caeterum ne quis putet, etiamsi nonnumquam in laudando nimis facilis fuisse videri possit, animum ipsi defuisse ad candide atque ingenue sententiam suam profitendam, ubi quod laudaret et comprobaret non inveniri censeret. Ad laudanda bona procliviorem se dixit, quam ad acriter castiganda mala, quae quidem non nimis maligne rei sacrae arcem petere ipsi viderentur. Reprehendere vero audebat id, quod reprehensione dignum existimaret. „Absit profecto," ipsius verba sunt, „ne seculo mancipem me vendam ac pedissequum! Neque unquam Temporis, quem nonnulli dicunt, Genius ita me vel retrahet, spero, ut quaecunque Patribus placuerunt,

ea intempestiva tuear sedulitate, vel contra protrudet, ut omnia aut pleraque, quae a novitate, eadem a veritate commendationem habere iuvenili opiner ac contendam levitate." Sui iuris esse voluit. Plerique Theologi, de ipsius sententia, ea quam vixit aetate, in duo adversa, ubi militarent, veluti castra secesserant, quorum alii propter doctrinae ecclesiasticae studium ac patrocinium laudari volebant, alii propter liberalitatem ac sentiendi libertatem; „illis," ait, „antiqua splendent; his recentia arrident. Quamquam neutri — ita ille — satis sibi constare videntur. Media quadam acie, et ab horum et ab illorum castris aequali fere spatio disiuncta, moderati non pauci se continent ac consistunt nostrae disciplinae cultores, pacifici illi, prudentes, sibi non nimis placentes. Hi neutrarum partium esse malunt, quam vel in his vel in illis stipendia facere castris adversis. Mediam hanc ac modestam viam rationemque Sacrarum Literarum in studia incumbenti mihi semper sequendam putavi." Ita vir optimus, qui viam illam, quam rectam esse sibi persuasum habebat, ad extremum vitae cursum tenuit. Quod de nonnullis et antea et his nostris temporibus dici potest: quantum mutatus ab illo! hoc in BOUMANNUM non valet. In rebus gravissimis, eu-

angelium, theologiam, philosophiam, ecclesiam spectantibus, sententiam non mutavit. Tenax propositi vir sibi constitit, constitit sibi et in aliis et in eo, quod a pueritia usque ad supremam horam vitam non vitalem duceret, nisi literis ac studiis operam dare posset; literis cum sacris, tum humanioribus, quas dicunt, studiis cum historicis, tum philosophicis. Quod ad extremum stadium probavit, quippe quem pridie eius diei, quo animam reddidit, sero reperire potuisses, introitum in commentarium, quo Iacobi epistolam explicaverat, si fieri posset absolventem. Laboris et cuiusvis fere generis doctrinae amore et studio singulari ardebat et flagrabat, CLARISSII discipulus non tantum, sed etiam filius dicendus. Magnos ita sibi comparavit scientiae thesauros, quos quatenus in scriptis suis deposuit serior quoque aetas debitis laudibus celebrabit. Quantum valuerit in difficilioribus historicarum disquisitionum laboribus exantlandis, testatur praesertim memorata iam „Historia Academiae Gelricae," opus cui multam omnino operam impendit, et quo monumentum sibi aere perennius exegit. Quaerenti autem, cur Academiam Hardervici quondam fundatam tali fatorum narratione illustraverit, respondet et introitus, et vero pulcra illa, libro adiuncta, Oratio,

quam habuit anno huius saec. XL in memoriam vitae academicae Harderovicenae, qua oratione Scholam illam veluti exsequialia canentem audimus. His aliisque inclaruit vir ille, quem ut pauci eruditum, quem sollertem, quem sagacem, quem acutum novimus, et pium et modestum, quem igitur Academiam lugere cum defuncti uxore vidua et liberis, paternae probitatis memoribus, eamque secutis et secuturis, cum amicis, cum discipulis, non miramur. HERMANNUS BOUMAN nobis ereptus est; nomen et scripta [1]) manebunt!

---

1) Notitiam scriptorum, quae in lucem edenda curavit HERMANNUS BOUMAN, laudata Oratio, pag. 47, hanc exhibet:

Vlugtige Bedenkingen over de handhaving en bevordering van het gebruik der Nederduitsche taal in de Zuidelijke Provinciën. (In Ann. menstr.: *de Recensent ook der Recensenten*, 1818. Miscell. p. 441—464.)

Tweetal Redevoeringen ter aanbeveling van het Bijbelgenootschap, door H. BOUMAN, Predikant te *Finsterwolde* en M. CORSTIUS, Predikant te *Beerta*. Groningen, 1819.

Censurae librorum in Ann. menstr.: *Bijdragen tot de beoefening en geschiedenis der Godgel. Wetensch.* 1820, 1821, 1822, 1825. VIII. IX. X. XIII, *Frisii* nomine insignitae.

Iets over het besluit van de Synode der Hervormden, ter kerkelijke viering van des Konings Verjaardag. (In iisdem Ann., 1821, IX, p. 291—304.)

Oratio de Belgio, disciplinae theologicae nostrâ inprimis aetate, sede pulcherrimâ et maxime opportunâ, publice dicta d. 20 m. Maii a. 1823, cum ordinariam in Acad. Rheno-Traiect. Theologiae professionem solenni ritu auspicaretur. Trai. ad Rhen. 1823.

Aan de protestantsche Leeraars in ons Vaderland, ter gelegenheid van hetgeen in deze dagen door de Roomsche Kerk tegen de Protestant-

His igitur verbis Vir clarissimus Collegam atque Praeceptorem, morte nobis ereptum, commemoravit. Nos autem, ut magnopere nos obstrictos

---

sche ondernomen wordt. Een broederlijk woord. (In Syntagm.: *Kerkel. Raadvrager en Raadgever*, a Cl. HERINGA edito, II. I, 1825, p. 1—46.)

Nu of Nooit. Vaderlandsche Ontboezeming, na het ontstaan van het oproer in een gedeelte van België, Tweede, verbeterde, en met een Bijvoegsel vermeerderde druk. Utr. 1830.

Thans, meer dan ooit. Moed en kracht, met vertrouwen op God alleen. Utr. 1830.

Leerrede over Luk. 6 : 21b : *Onze tegenwoordige smart, de weg tot toekomstige vreugde*, in libro: Leerredenen, betrekking hebbende op de jongste omstandigheden van het Vaderland, tot deszelfs voordeel uitgegeven door de gezamenlijke Nederlandsche Akademiepredikers. Utrecht, 1831. (Libro praefatus est Cl. BOUMAN.)

Oratio de Historiâ philosophiae de Deo, sapientiae magistrâ, dicta publice d. 26 m. Martii a. 1830, quum Academiae regundae munus solenni ritu poneret. Trai. ad Rhen. 1832.

Meditationes, quas libro: *Dagboek ten gebruike bij den Bijbelschen Almanak*, edito a plurimum ven. J. E. VOET VAN CAMPEN, Lugd. Bat., 1834, inseruit cl. defunctus, de locis 2 Cor. VIII : 11. Joh. II : 25. Joh. III : 14, 15. Ps. LXXV : 8. Rom. VI : 4. Deut. VIII : 18. 1 Tim. VI : 12—14. Rom. X : 20. 1 Cor. XV : 3. Matth. V : 13. Ps. LXXI : 9. Ps. CXVIII : 22. Rom. VIII : 10.

Redevoering ter Godsdienstige Inwijding van het Tweede Eeuwfeest der Utrechtsche Hooge School. Utr. 1836.

Levensberigt van LUITONIUS BOUMAN, *in leven rustend Predikant te Harderwijk.* (In Ann. menstr.: *Boekzaal der Gel. Wereld*, Dec. 1836.)

JOD. HERINGA EL. Z. *als voorganger der Chr. Gemeente geschetst in eene Leerrede.* Utr. 1840.

JOD. HERINGA EL. Z. *als voorstander van het Vaderland en deszelfs heilzame instellingen enz. geschetst.* Eene Redevoering met Aanteekeningen en Bijvoegsels. Utr. 1840.

Broederlijke toespraak aan allen, die de Hervormde Kerk liefhebben en om haren vrede bidden. Utr. 1842.

sentimus hacce laudatione, ita grato animo agnovimus eundem, qua est humanitate, lubentissime et tempus et curam nobiscum posuisse in edendo novissimo hocce Collegae atque Praeceptoris, quem summopere et ipse venerabatur, libro. Pro omni

---

Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool en hare Hoogleeraren, grootendeels uit ongedrukte of zeldzame bescheiden. II Tom. Utr. 1844 et 1847.

Redevoering ter herdenking van den Akademischen leeftijd, den tweeden Hooimaand 1840 in de kerk der Hervormden te Harderwijk uitgesproken. (Ad calcem libri: *Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool.* II. p. 615.)

Oratio, et Instituta Academica, quae 17° saeculo fuerunt in patriâ, cum iis, quae nunc ibidem sunt, breviter comparans, et memoriam celebrans FREDERICI SIG. ALEXANDER, NICOLAI CORN. DE FREMERY, JOAN. FR. LUD. SCHRÖDER, dicta publice d. 3. m. Aprilis a. 1845, quum Academiae Rheno-Traiect. regundae munus iterum poneret. Accedit annotatio literaria. Trai. ad Rhen., 1845.

Memoria JOANNIS CLARISSE, *Theologi.* Trai. ad Rhen. 1850.

Chartae Theologicae, Liber I. Trai. ad Rhen. 1853. Liber II. ibid. 1857.

Een woord ter aandenking van den Hoogleeraar A. NIERMEYER, caet. (In Ann.: *Jaarboeken voor wetensch. Theol.* XIII. 2. p. 243—254.)

Leerrede ter aandenking van H. J. ROYAARDS Met een Voorberigt en eenige Aanteekeningen. Utr. 1854.

Leerredenen, ter aandenking voor vrienden en bekenden. Utr. 1860.

De Godgeleerdheid en hare beoefenaars in Nederland, gedurende het laatste gedeelte der vorige en in den loop der tegenwoordige eeuw. Gemengde, historische herinneringen. Utr. 1862.

Over het onregt onzer moedertaal aangedaan door de hedendaagsche verwaarloozing van echt Nederlandsche namen voor uitheemsche landen en plaatsen. (In: Aanteekeningen van het verhandelde in de Sectie voor Letterk. en Wijsbeg. van het Prov. Utr. Gen. van Kunsten en Wetensch. 1860.)

suo auxilio ac virtute nostras impensas gratias accipiat!

Tandem hoc unum adiicimus. Viris Doctis tantummodo ea obtulimus quae in promptu habuimus. Cogitavimus quidem de perficiendo Introitu nondum absoluto. Spes aliquamdiu nobis fuit, fore ut in relictis a defuncto scidulis et annotationibus quaedam reperiremus, quibus hoc proposito uti potuissemus. At spem fefellit eventus. Quo factum est, ut proposito nostro renuntiandum esset, utque benevolo lectori non nisi ea quae ab ipso Auctore conscripta sunt legenda offerantur.

Defuncti autem ut fuit symbolum: Mihi agenda sunt eius, qui me misit, negotia, dum dies est; utque totam per vitam in hoc se exercuit, ita ad finem usque aetatis hac fide stetit. Et profecto! si quis unquam, certe dilectissimus Pater, quantum valeat constans ac seria voluntas, exemplo suo luculenter docuit.

Sit illi terra levis et molliter ossa cubent, cuius ex labore, quem instante morte versabat, tempestivae fruges eaeque uberrimae carpantur!

Scripsimus a. d. XIV m. Maii a MDCCCLXV.

INTROITUS.

§ 1.

De aenigmate, quod ex comparatâ cum caeteris N. F. epistolis hâcce epistolâ atque ex honore exsistit, quo eam, quamvis ab illis diversam, antiqua prosecuta est Ecclesia.

Has inter Jacobi litteras et caeteras N. F. epistolas magnum argumenti discrimen intercedere nemini non, paullo accuratius cum illis has contendenti, luce clarius apparet. Ne enim de elegantiore dicam atque ornatiore oratione Graecâ, caeterae omnes, quae quidem ab inscriptione ordiuntur lectorumque salutatione, iis vel coetibus inscriptae sunt vel amicis, quos singularum cum auctoribus fidei Christo habitae conjunctos teneret societas. Haec contra, nullâ interioris illius communiónis factâ mentione, *duodecim* Israëlis *tribubus*, per orbem *dispersis* illis, destinatam sese profitetur. Atque, ineunte quidem scripto, Dei ac *Domini Jesu Christi ministrum* sese vocat Auctor. Sed ipsâ deinceps in epistolâ tam raro ac tam tenuiter *Dominus* ille memoratur, quam fre-

quenter et quam copiose alibi passim Apostolorum in scriptis. Nec nisi obiter iterum, II. 1, ipsum ejus nomen enuntiatum exstat. Tum ubi, diu post, V. 7, 9, ἡ παρουσία τοῦ Κυρίου, quae instaret, praedicitur, *Christum* esse, qui Κύριος appelletur, aliorum N. F. locorum, ubi eadem haec ejus παρουσία celebratur, probabile certe reddit collatio. Quantis autem meritis ac beneficiis miserum peccatis hominum genus sibi obstrinxerit ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, suo quisque modo ac stilo, sed concordibus quod ad rei summam testimoniis, Petrus nos docet et Joannes et Paullus. Ne de epistolâ *ad Hebraeos* dicam iisque, quae *Apocal.* II et III referuntur, ad coetus Asiaticos epistolis. De quibus vero palmariis institutionis euangelicae capitibus tam altum hîc est silentium, ut solâ cognitâ *Jacobi* epistolâ quam salutem moriendo nobis comparâsset atque in vitam redeundo Christus ignoraturi fuissent lectores. — Gravissimas autem illas res non attingi si mirum nobis accidit, magis etiam inexspectata ac nova ei quidem, qui, recens a *Paulli* lectis epistolis, nunc primum *Jacobi* hoc scriptum cognovisset, hujus non videri non posset doctrina de peccatoris δικαιώσει, quae non ex solâ, quam *ille* utrâque paginâ commendat, *fide* exsistat, sed ex eâ demum fide, cui concurrerint *opera*. Unde factum esse novimus ut, aliis postea non paucis assentientibus, magnus ille sacrorum instaurator LUTHERUS ignominioso aliquando scriptum appellaret nomine. De quo ipso tamen alias verius judicavit atque honorificentius.

Praeclara hîc commendari morum praecepta nemo facile negaverit, plane concinentia illa cum iis, quae ad vitam regendam et illi, quos dixi, Apostoli docent et

ipse praeiverat Christus. Sed quanta haec ipsorum praeceptorum est concordia, tanta non pugna quidem, sed diversitas tamen animadvertitur, si rationes attendimus atque argumenta, quibus allatis vel alii Domini Legati sua ipsiusque adeo sequenda commendant mandata, vel noster Auctor. Illi enim, etsi nulla virtutis incitamenta, nulla consolationis momenta, ad lectorum animos emendandos atque erigendos composita, intacta relinquunt, prae caeteris tamen iis utuntur, quae ex doctrinis hausta essent, *Euangelio* privis propriisque, ex intimâ fidentium cum Deo Christoque conjunctione, ex summis, intercedente Sospitatore, divinitus in eos collatis beneficiis, ex eximiis, quibus uterentur, praerogativis. Alia ne memorem his annexa bona atque hinc redundantia. *Jacobus* contra, si ab unâ discesseris, quae iis λόγῳ ἀληθείας contigerit, *regeneratione* atque ab unâ, quam instare affirmat, Domini παρουσίᾳ, eorum, quae dixi, nihil quicquam attingit. Ac ne ibi quidem *Christi* nomen appellat, ubi, IV. 12 [1]), *unum* esse docet, *qui servare possit ac perdere, legislatorem judicemque.* Ita plerumque ea, de quibus ex disertiore demum *Novi Foederis* patefactione constiterat, praetermittit, ut in *Veteris* potius *Foederis* theatro et ipse versari videatur et lectores collocare. Cujusmodi hoc singulare epistolae ingenium nusquam magis nos advertit nec luculentius apparet, quam ubi, V. 10, 11, lectores ut ea, quibus premebantur, mala constanter perferrent adhortatur. Hîc sane in promtu erat omnium ad imitationem *Domini* nostri exemplum proponere, qui, Deo ut obediret hominesque ab interitu

1) Ex pleniore ac veriore lectione.

vindicaret, summâ, quae cogitari posset, constantiâ ac patientiâ extrema quaeque pertulisset, atque ita patiendo coelestem nactus esset gloriam. Verum illius nec crucem memorat nec, qui eam excepit, supremum honorem. Maluit enim et universe V. F. *Prophetas* imitandos commendare et *Jobi* singulatim tolerantiam, faustissimâ sortis conversione exceptam ac compensatam. Nec magis usquam alibi Christi vel auctoritate interpositâ vel intaminatâ sanctitate fidei sociis in exemplum propositâ, monita sua confirmanda curat.

Quum igitur universa, quae epistolae placet, instituendi, hortandi, consolandi via ac ratio a *Petrino*, *Joanneo*, *Paullino* docendi more tam longe recedat, facile exspectari poterat, quod rei exitus confirmavit scriptique fata, fore ut in *ἀντιλεγομένων* numero reponeretur multosque dubios redderet essetne in librorum sacrorum canonem recipiendum necne. Sed hoc potius est quod admirabundi quaeramus, quî factum sit ut, quo potissimum tempore dogmatica potius Ecclesiam commovebant, quam moralia studia, hisce litteris honorificus catholicis in epistolis locus concederetur atque ante earum plerasque versionibus ipsae frequentarentur. Quum praesertim nihil magnopere hîc doceretur, quo *Haeretici*, solos si exceperis *Anomos*, refutari possent. Nec ea deërant quae *Paulli* doctrinae adversari viderentur, cujus quanta fuerit priscâ in Ecclesiâ auctoritas nemo nescit. Verum quâ viâ progressi scriptum, diuturnis obnoxium plurium dubitationibus, tandem unanimi fere consensu amplexi sint Christiani, postmodum clarius spero nobis apparebit. Nunc tantum grave illud lectoribus perpendendum ostendere volui *aenigma*, quod ita conformata et vel sic tamen

sacrum in canonem recepta nobis objicit epistola eosque enixe rogare, ut ad illud solvendum eo religiosius vires nobiscum intendant, quo majore scriptum elucet et formae et argumenti praestantiâ.

§ 2.

De mature cognitá suáque de antiquitate testante ipsá epistolá.

Ad eas, quas hîc Critico objici vidimus, expediendas difficultates primam aliquam clavem valde habilem eam penitius inquisitum nobis subministrat scriptae epistolae tempus atque aetas. Ita igitur antiqua censenda est, ut ex ipsis repetenda sit rei Christianae primordiis, atque ante alias plerasque aut omnes N. F. epistolas exstiterit. Quâ de scripti vetustate clara, ni fallor, indicia ii praebent, qui mature admodum eâ usi esse deprehenduntur, priscae Ecclesiae Coryphaei. Quibus in auctoribus primo ac praecipuo nobis loco *Petrus* habendus est Apostolus. Hujus enim *priore* in epistolâ, de quâ solâ hîc quidem dicimus, plura nos advertunt dicta, *Jacobeis* ita similia, ut *fortuitam* esse non potuisse eorum cum his convenientiam recte HUTHERUS aliique monuerint. Cui consequens est, ut vel *Jacobum* respexisse censendus sit *Petrus*, vel *hunc ille*. *Priorem* autem fuisse qui simillima haec chartae mandaret *Jacobum*, nec inversum ac contrarium hîc potius statuendum esse temporis ordinem ac consecutionem, utriusque locorum similium ratio docet atque universa conformatio. Nam ejusmodi fere dictorum, quae conferenda sunt, necessitudo est ac con-

junctio, ut clariora sint, luculentiora atque ampliora *Petrina*, scriptorisque igitur manum redoleant, qui ab altero breviter enuntiata complere velit et illustrare aut quâcunque ratione efficacius urgere. Quae imitationis indicia facilius aliquando interpretis sensu percipiuntur, quam ejus verbis ad aliorum intelligentiam explicantur.

Ecce tamen nonnullorum *Petrinae* epistolae locorum tabellam, quorum alios propiore pede *Jacobea* premere vestigia, alios magis e longinquo ea sequi, concessuros nobis esse confidimus lectores. *Jacobus*, I. 2, eos consolatur iisque adeo gratulatur, qui essent *περιπεσόντες ποικ. πειρασμοῖς*. Cui illius voci *Petrus*, I. 6, non solum significantius substituit graviusque dictum *λυπηθέντες ἐν ποικ. πειρ.*, sed quibus adjicit, quod omnino memorabile est, *ὀλίγον ἄρτι, εἰ δέον ἐστί*. Quo facto quibus limitibus finibusque, Dei salutari consilio, illi circumscriberentur *πειρασμοί* disertius definitur, nec leviter moniti vis consolatoria acuitur atque augetur.

Ac mox, 1 *Petr.* I: 7, ne verborum quidem ordine mutato, ipsissimum Apostolus reponit *Jacobeum*, I. 3, *τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως*. Cujus vero *δοκιμίου* pretium eximium exponit uberius atque arctius cum laetissimâ, quae *Christianis* singulatim affulgeret, spe atque exspectatione connectit, quam suo pro instituto facere potuerat alter Auctor.

Quis porro est qui non lucidam illam admiretur nostrae, in quâ versamur, epistolae imaginem, I. 11: *ἀνέτειλεν ὁ ἥλιος — ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσεν*? Verum operae pretium est attendere, quam pulcre luce illâ suam collustraverit orationem *Petrus*, I. 24[b]. Qui priorem quidem enuntiati partem suae orationis ad structuram, quae

Aor. 1 *Ind. Pass.* requirebat, accommodat, in posteriore autem ne ulli quidem vocabulo alium dat, quam illi dederat *Jacobus*, locum. Ubi ne hoc quidem negligatur velim, quod ad *opulentorum* singulatim fastum comprimendum prior adhibuerat Auctor, id ab altero magis generali multoque plura complexâ sententiâ de *universi hominum generis* infirmitate declarari. Nec dubitandum igitur videtur quin ipsam quidem imaginem ejusque veluti *materiam* ex V. F. dictis, *formam* vero ex *Jacobo* repetierit *Petrus*. Nam universe quidem verum est quod monentem audivimus SCHOLTENIUM, eos hîc nobis in censum non venire locos, ubi bini N. F. Scriptores idem V. F. dictum afferunt. Verumtamen non negaturum esse existimo Virum acutissimum, fieri posse ut bini ejusmodi loci eâ sese attingant *formae* similitudine, quae alterius proximum fontem alterum fuisse arguat aut probabile reddat. Quod et hîc usu venire videtur et alio quodam, quem infra notabimus, loco.

Acutâ brevitate *Jacobi*, I. 18, cernitur effatum: *βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθ.* Quocum *Petri*, I. 23, comparanda est *interpretatio*, quâ ita paullo exquisitius declaratur enuntiatum, ut dicamur *ἀναγεγεννημένοι — διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ κ. τ. λ.* Nam et verbi, Judaeorum usu magis frequentati, substitutio et negans interjectum enuntiatum et disertius descriptus divinus ille *λόγος*, haec igitur omnia, si conjungantur, ejusmodi sunt, ut laudato *Jacobi* dicto *commentarii* fere officium praestent.

Gemina sunt etiam monita *ἀποθέμενοι — κακίας*, *Jac.* I. 21, et *ἀποθέμενοι πᾶσαν κακίαν*, 1 *Petri* II. 1. Quae quidem bina monita, eo meliore jure, praeëunte HUTHERO,

comparare mihi videor, quo pluribus et quo magis diversis rationibus enuntiari poterat atque in N. F. enuntiata exstat eadem haec a peccati servitio sectando dehortatio.

Porro *Proverbb.* III. 34, dictum, quod a LXX enuntiatur Κύριος ὑπερηφ. ἀντιτάσσεται, κ. τ. λ. eâdem plane ratione et *Jacobus* reponit, IV. 6, et *Petrus* V. 5, uno hocce intercedente discrimine, quod pro Κύριος uterque similiter scribat ὁ Θεός. Quod vero utrum ex *Jacobo* hauserit *Petrus*, an potius memoriter locum *Proverbb.* attulerit, videant acutiores. Neque enim, quum alia non desint luculentiora, hanc urgeo utriusque loci convenientiam. [1])

Sed nusquam facile magis digna est quae perpendatur et similis ratio et eadem dissimilis, quâ eodem in argumento uterque versatur Scriptor, quam ubi jusserat *Jacobus*, IV. 7b: ἀντίστητε τῷ διαβόλῳ. Hoc ipsum enim est monitum, quod pleniore atque ornatiore oratione et enuntiat et confirmat *Petrus*, quo loco, V. 8. 9, lectoribus studiose cavendum commendat ac fugiendum τὸν ἀντίδικον διάβολον, cujus ipsius ferocitate ac malignitate per imaginem, quam *terrificam* fere dixeris, depictâ, adhortationem subjicit ᾧ ἀντίστητε κ. τ. λ.

Uberiorem denuo ac luculentiorem *Petri* videmus orationem, V. 6, quae *Jacobi*, IV. 10, monitum ταπεινώθητε ἐνώπιον τοῦ Κυρίου καὶ ὑψώσει ὑμᾶς, ita prudenter suos convertit in usus: ταπεινώθητε ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα

1) Iisdem verbis dictum repositum exstat ap. *Clem. Rom.* Cap. XXX; item prior ejus pars in *Ignatii ep. ad Ephes.* Cap. V, ap. HEF. p. 156. Quo utroque denuo loco pro Κύριος scribitur ὁ Κύριος.

τοῦ Θεοῦ, ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ. Ubi bina nobis sunt animadvertenda sententiae complementa minime inania, quorum prius, ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα, monitum adstringit, posterius, adjecto ἐν καιρῷ, suavissimam miseris definit confirmatque promissionem.

Tandem, exeunte epistola, V. 20, affirmantem audimus *Jacobum*, ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν — καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. Ecce vero! magis generali pluraque complexo effato, quod *amoris demonstrationi* tribuentem viderat illum,, ipsi tribuit *Petrus* ἀγάπῃ, quam καλύπτειν πλῆθος ἁμαρτιῶν, ipsis illis repositis vocabulis docet, IV. 8[b].

Quoniam adhuc in utrâque comparandâ epistolâ versati sumus, utriusque etiam *inscriptionem* conferre juvat, non id quidem agentes, ut hîc quoque imitationem esse confidentius affirmemus, sed potius, ut, ipsâ in discrepantiâ, similitudinem animadvertamus. Idem enim hîc jam obtinet, quod in pluribus elucet utriusque scripti locis. *Petrus* nimirum, longe aliter, quam praeiverat *Jacobus*, et apostolicum suum munus clarius definiendum curat, et ad quarum singulatim terrae regionum διασπορὰν hasce det litteras diserte significat, et tandem *Christo deditis* se scribere hominibus indicat.

Verum haec ut obiter dicta nec ad disputationis nostrae summam pertinentia accipiantur. Caeterum non de omnibus, quos recensuimus, utriusque locis idem omnes sentire interpp. novimus. Sed in *Petrinis* nonnullos certe esse asseverare non dubito, qui tam manifesto *Jacobeos* imitentur, ut solum id negare possit partium studium et iniqua de Jacobi epistolâ opinio. — Jam vero *priorem* illam, quam contulimus, *Petrinam* annum inter 63 et 68 conscriptam esse, plerique consentiunt recentiores,

qui quidem Tubingensium commenta non amplectuntur, Critici et Interpp. Quod vere monuit HUTHERUS.[1]) A quibus non dissentiens SCHOLTENIUS, vir *κριτικώτατος*, ita Neronis ex regno scriptum repetit, ut post a. 64 chartae mandatum esse censeatur.

Petri autem imitatione atque auctoritate firmum nactâ disputatione de epistolae antiquitate fundamentum continuo nos ad *Patres* conferimus *apostolicos* eorumque imitatores. Quorum igitur plures ferri locos notum est, quibus alii manifesta imitationis Jacobi vestigia impressa esse statuant, alii non nisi fortuitam esse qualemcunque convenientiam arguant. Nos quidem, de nonnullis in neutram partem statuentes judiciumque lectorum solertiae ferendum relinquentes, alios quosdam notabimus, quibus, nisi omnia me fallunt, Jacobea vel verba vel sententiae satis manifesto sint obversatae. Incipiamus age a *Clemente Romano*, cujus *priorem ad Corinthios epistolam* a. 68—70, desinente Neronis persecutione, ante excisa Hierosolyma, scriptam esse statuit HEFELIUS[2]), a. 64—96 UHLHORN.[3]) De quâ temporis definitione ut nihil certius nos quidem statuamus, ante seculi certe primi finem gravissimum exstitisse scriptum ut quique moderatiores sunt Critici, ita libentius consentiunt.

---

1) *Einl. in* 1 *Petr.*, p. 24.

2) v. C. J. HEFELE, *Patt. app. opp.* ed. 4, (Tub. 1855) *Introit.* p. XXXIV.

3) Qui omnino consulendus est in HERZOGII *Real-Encycl.* II. p. 720—730.

KIRCHHOFER, similibus nonnullis allatis locis, probabiliter a *Clem.*

Jac. I. 8 reprehenditur ὁ δίψυχος. Iidem autem δίψυχοι a *Clemente Romano*[1]) memorantur Cap. XI, atque explicantur οἱ διστάζοντες περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως. Quae dicti interpretatio in Jac. l. l. optime convenit. Ab eodem *Clemente*, Cap. XXIII, ταλαίπωροι dicuntur οἱ δίψυχοι, οἱ διστάζοντες τὴν ψυχήν. — Perspicue atque accurate Jacobi sententiam explicant *Constitutiones apostoll.*, L. VII. Cap. 2, μὴ γινοῦ δίψυχος ἐν προσευχῇ, εἰ ἔσται ἢ οὔ.[2]) Δίψυχοι etiam castigantur, *Jac.* IV. 8. Sed hujus epistolam si, quod probabile existimo, *Clemens* respexit et *Constitt. apostt.*, prior potius ille in censum venit Jacobi locus; cujus similior est contexta oratio et consilium.[3])

Jac. I. 15. Εἶτα ἡ ἐπιθυμία κ. τ. λ. Huc fortasse respexisse 2 *Clem. Rom.* Cap. X, putat GALLANDIUS. Ubi ἡ κακία, internus animi affectus, eadem quae ἐπιθυμία, vocatur προοδοιπόρος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *scelerum nostrorum praecursor*. Quae vero eo incertior est conjectura, quoniam pro ἁμαρτιῶν COTELERIUS aliique legere malunt τιμωριῶν.

Rom. lectum esse *Jacobum* concludit. Magis fidenter, cui plane consentio, SCHNECKENBURG. comm. p. 151. „*Primus*," inquit, „*hujus regionis* (i. e. Ecclesiae Occidentalis)" *Scriptor Clem. Rom. haud dubie passim ad eam* (Jac. ep.) *alludit*"

1) Quem ubi simpliciter dico, *priorem* significo ejus *ad Cor.* epist. Alterius enim spuria esse videtur auctoritas. Vel sic tamen datâ opportunitate conferri potest.

2) Attendatur etiam 2 *Clem. Rom. ad. Cor.*, Cap. XI: μὴ διψυχῶμεν, ἀλλὰ ἐλπίσαντες ὑπομείνωμεν.

3) Cf. SCHLEUSN. Lex. N. T. v. δίψυχος, sed prae caeteris SCHNECKENBURG. in fine comment. p. 151.

Jac. II. 7. Βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα κ. τ. λ. Affine est *Hermae Pastoris* dictum L. III, Simil. VIII, Cap. VI: „Hi sunt transfugae et Ecclesiae proditores, qui inter „reliqua sua delicta *nefandis verbis Dominum insectati*, „*nomen ejus negaverunt, quod super eos erat invocatum.*" Quem locum plane eâdem ratione reponit KIRCHHOFER ac vere, si quid video, huic quoque scriptori *cognitam esse debuisse Jacobi epistolam* affirmat.

Jac. II. 21—25. Opportune totum h. l. cum *Clem. Rom.* Cap. XXXI comparat SCHNECKENB. Plane eâdem ratione utroque loco ὁ πατὴρ ἡμῶν appellatur *Abrahamus.* Ille igitur, auctore *Jacobo*, ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Quae ita imitari videtur *Clemens*, ut de eodem quaerat Patriarchâ: τίνος χάριν ηὐλογήθη; οὐχὶ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας; Mox autem, minus presse *Jacobum* secutus, ipsum memorat, *qui sponte suâ sit factum sacrificium*, *Isaäcum.*

Jac. II. 23, exeunte sect., eodem de Abrahamo eâdem in disputatione: καὶ Φίλος Θεοῦ ἐκλήθη, affirmat. Pro quo *Clem. Rom.* Cap. X, de Patriarchâ agens, qui Deo jubente patriam reliquerit, ap. COTELER. et HEFELIUM, habet: ὁ Φίλος προσαγορευθείς. Cui vero DAVISIUS ac BLEEKIUS memoratum substituunt Θεοῦ Φίλος. Verum utravis verior sit lectio, *Dei* certe intelligitur amicitia; nec *Jacobi* negligenda videtur imitatio. *Irenaeo*, *Haeres.* IV. 26, hujus locum esse obversatum monet SCHNECKENB., consulendus ille et p. 68 et p. 151.

Jac. IV. 1. πόθεν πόλεμοι καὶ (πόθεν) μάχαι ἐν ὑμῖν; Quocum dicto omnino comparetur *Clem. Rom.*, Cap. XLVI: ἵνα τί ἔρεις καὶ θυμοὶ καὶ διχοστασίαι καὶ σχίσματα πό-

λεμός τε ἐν ὑμῖν; Cujus loci cum illo convenientiam recte notat HEFELIUS. Est certe utriusque simillima *forma.*

Jac. IV. 7. *Ἀντίστ. τῷ διαβ. κ. φεύξεται ἀφ' ὑμῶν.* De *Petri* loco parallelo v. supra dicta. Sed omnino etiam comparandus est *Hermae Pastor,* L. II. Mand. XII. Cap. V. *Δύναται ὁ διάβολος παλαῖσαι· καταπαλαῖσαι οὐ δύναται. Ἐὰν οὖν ἀντιστῇς αὐτὸν, νικηθεὶς φεύξεται ἀπὸ σοῦ κατῃσχυμμένος.* Item digni sunt qui comparentur loci ex *Test. XII Patr.*, quos retulit in comm. ad Jac. h. l. SCHNECKENB. p. 230 in notâ.

Jac. IV. 12, *ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι.* Ab *Hermae Past.* L. III, Simil. IX, Cap. XXIII, ad hominem dictum refertur, qui homini perseveranter irascitur, *tamquam conservare eum possit aut perdere.*

Jac. V. 4. *Ἰδοὺ, ὁ μισθὸς τῶν ἐργατῶν κ. τ. λ.* Vix dubium videtur quin Jacobea haec sibi obversantia habuerit *Hermae Pastor*, ubi, L. I. Vis. III, Cap. IX, ita ipsos etiam compellat opulentos. „*Videte ergo vos*," inquit, „*qui gloriamini in divitiis vestris, ne forte ingemiscant ii, qui egent, et gemitus eorum adscendat ad Dominum.*" Hic quidem pro *operariis*, quos significanter memoraverat epistola, generalius ponens Auctor *egentes*, non acuere dictum censendus est et diluere potius atque attenuare; ita tamen ut ultima illa, *gemitus eorum ad Dominum adscendens,* plane referat nostrae dictum epistolae: *αἱ βοαὶ — εἰς τὰ ὦτα Κυρίου εἰσεληλύθασιν.*

Omnium ultima totius nostrae ep. verba *καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν*, V. 20., supra cum 1 *Petr.* IV. 8 contulimus. Verum omnino etiam comparandus *Clem. Rom.*, Cap. XLIX : *ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν.* Item dicti Jacobei pulcra exstat imitatio in *ep. ad Diognetum*, Cap.

IX, ubi *Christi* merita celebrans: *τί γὰρ ἄλλο*, inquit, *τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη*; Longius inde recedunt quae item comparat HEFELIUS *Paullina* dicta, 1 *Cor.* XIII. 4 sqq.

Sed anteaquam hanc disputationis partem concludamus, aliud quid subjiciendum restat, quod magnum hâcce in caussâ momentum habet. Quam enim epistolam sibi cognitam habuit suosque in usus contulit *Petrus* Apostolus; quam passim *Patres* respexerunt *apostolici* quique eorum sibi nomina arrogabant imitatores; eadem *Jacobi* epistola a vetustâ *Syrorum* Ecclesiâ insigni sese ornatam videt antiquitatis testimonio. Ab eâ enim parata ac maximi facta interpretatio *Peschito* seriore demum tempore *ἀντιλεγομένας* non nullas N. F. epistolas complexa est atque assumsit. Verum *Jacobi* huic epistolae, ante plerasque eas, nisi maturiore etiam aetate, certe *seculo secundo* honorificum a *Peschito* datum esse Sacris in Scriptis locum inter plerosque constat, qui moderatiora consilia sequuntur, Criticos. [1])

§ 3.

De epistolae Auctore.

A.

Sese dicit ipse Auctor Ἰάκωβον, δοῦλον Θεοῦ καὶ Κυρίου Ἰ. Χ., *ministrum Dei ac Domini J. Chr.* Quo se nomine

1) De memoratae Vers. aetate aliisque, quae huc pertinent, quaestionibus consulatur ARNOLD in HERZOGII *Real-Encycl.* Tom. XV. p. 399.

dicens, peculiarem aliquam, nisi prorsus fallor, Christi in societate sibi vindicat dignitatem. Nam fatendum quidem est latiore sensu nullos non ita vocari posse ac non nunquam in S. S. vocari *bonos piosque* homines. Verum quis quaeso non nimis sibi placens arrogansque ita introeunte scribet epistolâ, ea solo ductus consilio, ut suam ipse praedicet *pietatem?* Atque haec eo majorem habere vim percipiemus, si *V. F. Prophetas* non raro se עַבְדֵי יְהוָֹה dixisse meminerimus. Cui honoris titulo plane respondet inscriptio δοῦλος Θεοῦ κ. Κ. 'Ι. Χ. *Hujus* enim nomen ne plane hîc omitteretur N. F. vetabat ratio scriptique consilium. Haec autem utriusque honorifici nominis similitudo nusquam memorabilior est ac significantior, quam eum apud Auctorem, qui *Vet. F.* doctrinae suam arctissime annectit institutionem. Quod ipsum dubito num satis studiose attenderint qui adhuc de scripti Auctore egerunt. Neque igitur est quod incertos nos teneat ac suspensos SCHOTTII [1]) aliorumque objectio, qui „*ideo* „*dubitare licere*," inquiunt, „*num Apostolo tribuenda sit* „*epistola, quod auctor nec initio nec alibi Apostolum sese* „*professus est.*" Quid enim? Fac paullisper nusquam de suâ personâ nec de sese a Christo legato quicquam eum dixisse, nonne graves esse potuerunt varii generis caussae, quae quominus id faceret ei dissuaderent? Nec levior facile, quam haec, fingi possit argumentatio: „*Quod* „*Apostolum sese non professus est Auctor, Apostolus esse* „*non potuit.*" Neque hîc aliorum negligendus est mos Apostolorum, eodem aut non absimili nomine sese dicentium. Cujus eorum moris en brevem tibi tabellam.

---

1) *Isag. in libros N. F.*, p. 383.

Judas, arctâ nostro cum Auctore necessitudine conjunctus, *Christi* solummodo se δοῦλον vocat. — *Apocal.* I. 1, rerum futurarum ἀποκάλυψις δειχθῆναι dicitur *Joanni*, Christi δούλῳ, cui igitur suâ vice illius τοῖς δούλοις tradenda eadem illa esset *patefactio*. — *Paullus*, *Rom.* I. 1, *Christi* δοῦλον καὶ ἀπόστολον, *Philipp.* I. 1, et sese et Timotheum ejusdem δούλους appellat. *Tit.* I. 1, sese nominat idem *Dei* δοῦλον et *Christi Apostolum*. Ubi fere alterum ex altero supplendum videtur nomen. — 2 *Petr.* I. 1, *Christi* δοῦλον καὶ ἀπόστολον se vocat Auctor. Hae solae sunt, ubi hoc, de quo quaerimus, nomen exstat, N. F. epp. inscriptiones. [1])

Nec vero sola est, unde orditur scriptum, salutatio, ubi tam insigni usus auctoritate, loquatur ὁ δοῦλος Θ. κ. Κ. Ἰ. Χ. Passim enim ipsâ in epistolâ tam severe lectores jubet, vetat, reprehendit, objurgat, ut vere *apostolicam*, de quâ nullo jure dubitari possit, sibi vindicare videatur dignitatem. *Privatum* eum fuisse ponamus de fidentium grege Christianum, num eum, tantum sibi juris sumentem, tulissent illi ac venerati fuissent? Quum praesertim id sibi arrogaret, ut non ad unum aliquem, non ad paucos quosdam scriberet Christianorum coetus, sed ad *universum*, qui extra patriam *dispersus* erat, *Israëlis populum*. His igitur ex omnibus nullius potius fuisse, quam *Apostoli*, ita ut loquentem audimus Auctorem loqui, jure efficimus.

---

1) Plura vidd. apud GEBSER. comm. initio.

B.

Porro antiquissimae Christi Ecclesiae, i. e. non Patribus solum apostolicis, non solum primo Interpreti Syriaco, sed ipsi adeo Petro Apostolo hocce cognitum fuisse sapientiae Christianae monumentum luculenter nobis constitit. Verum hinc etiam concludere licet magno id apud eos fuisse in honore et existimatione. Quod si secus se habuisset, unde tandem factum esse putabimus, ut quae multis aliis varii generis enuntiare potuissent dictis hujus potissimum oratione atque effatis usi reponerent? — Neque est quod miremur ab his, quos diximus, Scriptoribus non diserte Auctorem nominari *Jacobum*. Universe enim monendum est serius vulgo cognitas esse ab antiquis ac minus frequenter laudatas, quam N. F. scripta *historica* ac *Paullina*, *catholicas*, in quibus haec est *Jacobea*, epistolas. Atque hanc singulatim quod attinet, quoniam et paucas attingebat *de fide* quaestiones nec quae de iis docebat a plerisque recte intelligebantur aut probabantur, minor illis ac minus parata vel opportunitas erat vel voluntas, ad eas dirimendas, quae priscam Ecclesiam commovebant, lites *dogmaticas* ejus effatis atque auctoritate utendi.

C.

Ad antiquissimos igitur illos, quos antea memoravimus, testes ne pedem nunc referamus, caetera attendenda, quae praecipuum hîc momentum faciunt, testimonia. In quibus igitur quis prior nobis in censum venit, quam *Clemens Alexandrinus*, in cujus locupletissimâ praedicandâ

doctrinâ atque ardentissimo rerum Sacrarum studio omnium consentiunt suffragia? Hic igitur Clemens, narrante *Eusebio*, H. E. VI. 14, *omnes N. F. libros brevibus explicuit commentariis*: μηδὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθών· τὴν Ἰουδᾶ λέγω καὶ τὰς λοιπὰς καθολικὰς ἐπιστολάς. Quae Eusebii narratio sine dubio *Jacobi* etiam epistolam a *Clemente* explicatam esse memoriae tradit; quam nimirum ipse alibi, H. E. II. 23, τὴν πρώτην τῶν καθολικῶν appellat. Periit quidem Clementea haec epistolae interpretatio, sed certam non tollit testimonii Eusebiani fidem atque auctoritatem temporum haec injuria [1]).

Nec minus gravem nec minus locupletem hujus caussae testem magni Viri maximum Auditorem appellare licet *Origenem*, qui saepius ita disertam facit atque honorificam epistolae Jacobeae mentionem, ut, illius usus auctoritate, vel suas confirmet sententias vel aliorum reprehendat refellatque decreta. Fuerunt quidem qui de germanâ scripti origine *Adamantio* non constitisse putarent; quoniam, ubi in *comment. in Joannem* illius locum affert, dicentem eum audimus: ὡς ἐν τῇ Φερομένῃ Ἰακώβου ἀνέγνωμεν. Sed, quod recte alii monuerunt, non raro τὸν Φερόμενον librum vocant veteris Ecclesiae scriptores, ut eum nos dicimus, *qui exstat atque in vulgus notum est*. Neque igitur quicquam hocce habet epitheton, quo diserta, quae diximus, infringantur Origenis, quae maxime scriptum venerantur, testimonia [2]).

1) Cf. SCHNECKENB., p. 152.

2) Diversas in partes hîc disputantes vidd. EICHH., p. 594 sq. VAN HEYST, in libro *over het Kan. gezag van de BB. des N. T.*, p. 259 et 363, SCHNECKENB., p. 152 sq.

Jam instat ut de *Eusebio* videamus, quem caetersi copiosius de N. F. librorum auctoritate exponere novimus, atque ita plerumque his in quaestionibus versari, ut coetuum potius *Christianorum*, quam sua ipsius de singulis prodat judicia. Hujus igitur bina imprimis hîc in censum veniunt testimonia. Alterum exstat H. E. II, 23 [1]). Ubi, post plura de *Jacobi*, *fratris Domini*, *morte* narrata, continuo subjicitur: „*Haec de* Ja„cobo, *cujus earum*, *quae* catholicae *vocantur*, *epistolarum* „*prima esse dicitur. Sciendum tamen est eam* νοθεύεσθαι. „*Neque enim multi antiquorum eam memorarunt; sicuti* „*nec* Judae *epistolam. Eas tamen novimus una cum caeteris* „*plerisque in Ecclesiis palam legi ac recitari.*" H. l. quid significet νοθεύεται quaeritur: neque enim desunt qui vertant *spuria est*. Verum potius explicandum esse satis certo constat *spuria* a nonnullis *habetur;* ut idem fere sit quod ἀντιλέγεται, νόθον νομίζεται. Neque enim tam certâ, quam prior illa sumit explicatio, asseveratione hujusmodi de rebus sententiam profiteri consuevit Eusebius. Nec vero, hâc acceptâ vocis notione, satis concinne sic cohaereat oratio: „*Spuria est epistola: neque enim multi* (itaque nonnulli certe) *ejus mentionem fecerunt.*" Nec tandem aliter ac fecimus sumendum esse νοθεύεται ex altero apparere videtur ejusdem Auctoris loco, ubi a νόθοις diserte haec distinguitur epistola. — Dictum significo, quod in celebratissimo exstat librorum N. F. καταλόγῳ Eusebiano, III, 25. Ubi, quod ad nostram singulatim caussam attinet, „Ἀντιλεγομένοις

---

1) Totum h. l. DE-WETT. retulit (*Einl.* § 165, p. 298), et imprimis VAN HEYST, p. 39 sqq., qui lectu digna monet aliosque laudat.

„in scriptis," inquit, *„quae plerisque tamen sunt cognita, „ea est, quae* Jacobi *nomen habet, epistola; item altera „illa, quae* Judae" caet. [1]). Haec igitur aliaque Eusebii de nostrâ epistolâ dicta si contrahimus ac conjungimus, eorum huc redibit summarium, nonnullos quidem, eo vivente eoque teste, fuisse qui de *apostolicâ* dubitarent scripti origine, sed plerosque tamen id temporis Christianorum coetus, germanam in illo *Jacobi* manum agnovisse eamque ei tribuisse auctoritatem, ut publice id in fidentium usus praelegendum curarent.

Illustrissimi porro, qui quarto seculo Orientalium in Ecclesiâ floruerunt, Patres in venerandâ canonicâ scripti dignitate consenserunt. In quibus, alios ne memorem, *Athanasius* certe fuit et *Cyrillus Hierosolymitanus* et *Basilius Magnus* et *Gregorius Nazianzenus* et vero *Chrysostomus* [2]). Eusebii autem post tempora quae antea Orientali in Ecclesiâ de epistolâ exstiterant dubitationes subito fere conticuisse videntur.

Hîc binis memorandis desinimus Ecclesiae Latinae luminibus, quae etiam ipsa quartum illustrârunt, de quo dicere incepimus, seculum. *Hieronymum* dico ac *Rufinum*, qui, quamvis in multis dispares essent adversarii, in eâ tamen amice consentiebant sententiâ, quod *Jacobo Apostolo, Domini consobrino*, epistolam tribuërent Auctori [3]).

---

1) v. SCHNECKENB. p. 150, v. HEYST, p. 67.

2) De quibus vidd. EICHHORN. p. 596, VAN HEYST, p. 277, 283, 287, 289, 298.

3) v. EICHH. l. l. et VAN HEYST, p. 304.

D.

Quem ipse sese profiteatur scripti Auctor et quem eum antiqua habuerit Ecclesia, adhuc vidimus. Sequitur nunc ut *cui* id tribuendum sit *Jacobo* dispiciamus. Constat enim binos a Christo, quibus hoc commune esset nomen, lectos esse Apostolos. Alter *Zebedaei* erat et *Salomes* filius, *Joannis* Apostoli frater, qui, paucis Christi post abitum annis, ab Herode Agrippâ Hierosolymis capite damnatus est. Quod, A. A. XII. 2, retulit *Lucas.* Ab hoc igitur nostram profectam esse encyclicam *subscriptiones* q. d. affirmant, et vetustae alicui Versioni Latinae adjectae et Versionis Syr. Peschito codicibus nonnullis. Quarum vero nullam esse constat auctoritatem criticam. Ac pauci quidem fuerunt qui iis assentirent recentiores. Verum, recte monentibus aliis, eo jam tempore necatus est Zebedaei filius ille, quo nondum potuisset, hâcce missâ adhortatione, de fidentibus ac civibus bene merere. Neque enim injuriâ dubitant num tam maturâ jam tempestate longe lateque extra Palaestinae fines ii, ad quos datam esse epistolam constat, coetus exstiterint. Neque ullam rei explicandae satis accommodatam ostendit historia opportunitatem, quâ ad hanc ad Judaeos ἐν τῇ διασπορᾷ versantes scribendam epistolam ille prae caeteris adductus sit Christi Legatus.

Alter autem cognominis fuit Apostolus *Jacobus*, cujus in personam ac vitam longe melius quam memoratum in Salomes filium encyclicae confectio conveniret. Cognomine vocabatur ille ὁ μικρός. Patrem habebat *Alphaeum.* Quem eundem fuisse, qui alibi *Clopas* appellatur, verissima DE-WETTII est aliorumque sententia. Utrumque

enim nomen diverso modo inflexum erat ac pronuntiatum Hebr. חַלְפִי. Uxorem hicce habuit Alphaeus *Mariam*, Mariae, Jesu matris, sororem. Cujus cognationis in fidem prae caeteris consulatur *Joann.* XIX. 25, ubi *cruci adstitisse* illa dicitur Maria, et *Marc.* XV. 40, ubi idem affirmatum legimus de *Mariâ Jacobi et Josis matre.* Alphaei igitur hujusque piae uxoris Mariae filius erat Jacobus, qui in quaternis illis, quos nobis sacra historia ostendit, Apostolorum indicibus constanter appellatur *Jacobus Alphaei filius.* Fratrem habuit *Judam* Apostolum, quod ex ineunte efficimus illius epistolâ.

Hicce igitur Alphaei filius, quoniam Jesu matris ex sorore natus erat, temporum illorum ex more atque usu, *Christi ἀδελφός*, id est *consobrinus*, vocari poterat. Quo ipso nomine a *Paullo* Ap. appellatur, *Gal.* I. 19. Ubi, post memoratum *Petrum*, ἕτερον δὲ, inquit, τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου. Sunt quidem qui *tertium* aliquem et a Zebedaei et ab Alphaei filio diversum hîc memoratum putent Jacobum. Sed durissimam hi sequuntur nec grammatice probandam particulae excipientis εἰ μὴ interpretandae viam ac rationem. Quâ in sententiâ longe plurimos nobis assentientes habemus et antiquiores interpp. et recentiores, quorum longam contexuit seriem JACHMANN [1]). Atque eo certior videtur loci explicatio, quando, *Gal.* II. 9, una cum *Joanne* et *Petro* ita laudatur idem, ut δοκῶν στύλος dicendus

1) *Einl.* p. 12 sq. — Ipse etiam SCHOTTIUS, qui in Euangg. atque Actis tertium quemdam, qui Apostolus non esset, nominari putat Jacobum, hocce tamen loco non alium intelligi posse profitetur, quam eum, de quo dicere instituimus, Alphaei filium. Quâ de re omnino illius consulatur *Isagoge*, p. 377. N°. 5.

esset. Quo profecto honore Paullus eum, qui ne *Apostolus* quidem esset, binis illis non fuisset aggregaturus intimae admissionis Domini Legatis.

Neque alia desunt historiae testimonia, quibus quam honorificâ sit usus aequalium existimatione clare eluceat. Quid enim? Hierosolymitano in conventu, de quo *Actt. App.* XV. 13 sqq. refertur, nonne, ipsius etiam *Petri* quodammodo posthabito consilio, illius potius, nisi diversa, certe paullo alia suadentis, orationi caeteri obtemperârunt coetibusque sequendam eam commendârunt, qui unâ nunc erant, Apostoli? Idem videtur fuisse, qui, narrante *Hegesippo* apud *Eusebium*, H. E. II, 23, Hierosolymae fuit Ἐπίσκοπος ac τοῦ δικαίου cognomine ornabatur. Cui vero, Romanorum mortuo Procuratore Festo, violentam conscivit mortem Judaeorum odium et malignitas. Hegesippo autem, quoad rei summam, assentit *Fl. Josephus*, *Antiqq. Jud.* XX, 9; quo narrante lapidibus eum obruendum curavit atque ita necandum Annaeus Pontifex Maximus. Diu certe, nisi constanter, Hierosolymae in primario coetu nostrum hunc degisse Apostolum, ex certo apparet testimonio, *Actt. App.* XXI. 13 sqq.

Non paucos quidem esse novimus, qui *Jacobum* illum *Justum*, qui metropoleos coetui praeerat, a *Jacobo Apostolo* diversum faciant atque epistolae auctorem existiment. Sed sine ullâ, si quid video, caussâ idoneâ. Neque enim probabile est ejusmodi hominem, quem *privatum* fere dixerim, qui a Christianis certe rite vocatis Christi Legatis non posset non longe posthaberi, eâ fuisse auctoritate ac dignitate, ut sine insolenti arrogantiâ nec inani plane boni successus cum spe atque exspectatione, ad

universum Israëlis populum, longe lateque per orbem dispersum illum, *hujusmodi* dare posset encyclicam. Quod supra jam aliâ opportunitate monuimus.

His igitur omnibus de caussis *Jacobum Apostolum*, *Alphaei* ac *Mariae filium*, epistolae Auctorem habemus. Quam sententiam novis, quod spero, argumentis quae epistolae de lectoribus postmodum dicturi sumus, confirmabunt.

§ 4.

Quâ dissentientium de epistolae Auctore refutantur objectiones.

Quam epistolae de Auctore tuiti sumus sententiam, eam varii generis objectionibus confutare conati sunt Critici, scripti vel *formam* cum Apostoli personâ non satis convenire rati vel *argumentum*. Quibus vero in objectionibus non est quod *inscriptionem* denuo attingamus, de quâ, quod satis erat, supra dixisse videmur.

Verum, monente SCHOTTIO [1]), consentientibus aliis, „*difficilis oritur quaestio, unde sermonis Graeci elegantia, quam haec prodit epistola,* Jacobo *contingere potuerit.*" Jam a singulari plane scriptum commendari orationis quum elegantiâ tum gravitate et nunc lubens profiteor et postea disertius probare conabor. Neque injuriâ *bene Graecam* epistolam appellat vir eximius, dummodo universam spectaveris ejus dictionem, nec Hebraismos vel Hebraeorum certe dicendi rationem redolentia enuntiata semper fugere Au-

1) L. l. p. 386 sq.

ctorem infitias iveris. Illorum certe morem imitatus, saepius quam exspectaveris appellat τὸν νόμον. Sed singulatim attendatur λόγος ἀληθείας, I. 18; ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς, I. 25; — magis etiam προσωποληψίαις et, quod nusquam alibi in N. F. scriptum exstat, προσωπολήπτειν, II. 1 et 9. Tum, III. 6, Hebraïco plane more, nominatur ἡ γέεννα. — Ἐν αὐτῇ, quod bis III. 9, Hebraïcam potius, quam Graecam, sapit constructionem. — Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, IV. 4, nonne hujusmodi, quibus cives increpuerant Prophetae, reprehensiones sponte in memoriam nobis revocat? Tandem memorabile illud Κύριος σαβαώθ infra nobis attingendum erit. In his igitur ea non deësse, quae ne *Demosthenes* quidem plane intellecturus fuisset, neque igitur, quam laudatam audivimus, per *bonam* epistolae *Graecitatem* germanam ejus confutari originem, mihi quidem plane constitit.

Paullo majus quidem, fateor enim, nobis negotium jure celebrata orationis praestantia facesseret, si *Nazarethae* forte aut *Bethsaïdae* aetatem egisset Auctor. Sed, si quid historiae testimonia valent, *Hierosolymis* potius vitae tabernaculum posuit. Illâ ipsâ autem tempestate per nullas non cultiores universi Orientis regiones sparsam fuisse Graecae linguae cognitionem inter omnes constat. Atque ad *Judaeae* singulatim metropolin quod attinet, id primum nostrâ hâc cum caussâ conjunctissimum est, quod, narrantibus *Actt. app.* VI. 1 sqq., in habitantium ibi Christianorum coetu haud pauci fuerunt *Hellenistae.* Jam dubitandum non est quin septenorum, qui primi fuerunt, *Diaconorum* nisi plures, nonnulli certe, exterorum illorum ex numero lecti sint. Quod quum probabile reddat Apostolorum prudentia, tum nonnulla,

quae l. l. sect. 5, produntur, eorum nomina certo confirmant. Atque ibi, ne de aliis dicamus, diserte memoratum videmus Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα. *Antiochiae* autem insigne tunc aliquod fuisse Graecae eruditionis domicilium nemo nescit. Laudantur autem, s. 3, ἑπτὰ πλήρεις πνεύματος καὶ σοφίας. Nonne igitur per horum Virorum, arctâ fidei, aliquâ item muneris societate sibi junctorum, consortium ac familiaritatem interioris cognoscendae Graecae linguae optima Scriptori oblata erat ac paratissima opportunitas? — Sed satis haec de *Diaconis*.

De *Pilato* videamus. Ad omnium certe civium notitiam perferendam curare volebat Jesu crucis *inscriptionem*. Ad quod igitur assequendum consilium nonne sufficiebat ut et *Hebraïce* ligno insculperetur et *Latine?* Aliter certe visum est Procuratori, qui, nisi multos in metropoli degere *Graecos* novisset, nullam certe hîc eorum linguae rationem habiturus fuisset.

Atque universe per *Palaestinam* magis magisque et viguisse eo tempore et increvisse Graecarum Litterarum studia, tam accurate post alios docuit SCHNECKENB. [1]), ut quicquam adjicere nihil attineat. Verum *Hierosolymis* maxime, quae, dum stabant incolumes, et religionis et mercaturae Judaïcae meditullium erant, multi habitabant Romani, Hellenicâ exculti doctrinâ. Atque eodem qui festorum tempore et aliunde et ex Asiâ Minore confluxerant Graecis litteris plane imbuti hospites ibi non raro diutius commorabantur, nec in sermonis sui penetralia discendi cupidos adducere dubitâsse censendi sunt. Quid multa? nihil absurdius, quam Alphaei filio, celebri

---

1) L. l. p. 18 sqq.

in metropoli degenti, opportunitatem denegare linguae longe lateque per cultiorem terrarum orbem propagatae elegantiorem sibi comparandi notitiam. Nec meliore profecto jure tam angustam ei ac tam pusillanimem mentem tribueris, ut *Paullo*, qui *omnibus omnia* fieri cuperet, plane dispar, dictionis ac stili bonitate salutaria Euangelii praecepta cultissimis etiam, ad quos scribere instituebat hominibus, commendare noluerit ac recusaverit.

Nec vero gravior mihi DE-WETTII haec videtur objectio, *quâ nullam nobis caussam apparere contendit, quae ut ad omnes totius orbis Judaeo-Christianos hanc daret epistolam Jacobum impulerit.* Enimvero coetui Hierosolymitano diu praefuisse Jacobum docet historia. Quem ipsum coëtum cum caeteris, qui ab eo profecti erant, paternâ quâdam necessitudine conjunctum fuisse non minus certis constat indiciis. Nonne igitur ejusmodi haec erant rerum adjuncta, quae *Apostolo*, eo posito honoris loco, hujus scribendae epistolae vel opportunitatem darent vel officium adeo imponerent? Quam longissime sane absit, ut Christianorum *Pontificem Maximum* nostrum hunc faciam Apostolum. Verumtamen id asseverare haud dubito, si huic pias ad dispersos litteras dandi Christianos aliosque cives vel voluntatem ademeris vel facultatem, eodem te jure *Annae* aut *Cajaphae* ad eos, quibus praeerant, Judaeos adhortatoriam mittendi epistolam potestatem denegaturum esse. Virum exstitisse pietate insignem, auctoritate gravem, qui, hâcce missâ *encyclicâ*, multos, quibuscum arctiore vinculo conjunctum se sentiret, et miseros consolari vellet et peccandi periculo obnoxios a vitiis avocare; hoc igitur est, quod ex ipso potest effici litterarum exordio. Jam igitur mihi

dicas velim, utrum magis tibi probabile videatur, ignobilem hunc fuisse qualemcunque atque ignotum hominem, nullo apud Christianos honore conspicuum, an *Alphaei* filium, Christi Legatum, Ei in metropoli fidentium antesignanum, cui singularis aliqua Judaeo-Christianorum cura demandata esset? Mihi quidem hanc longe veri similiorem videri, quam illam, sententiam hanc tanquam magis *historicum* mihi sese commendare profiteri non vereor. Quid, quod *Petrus* etiam, ejusmodi datâ ad *Asiae Minoris* coetus epistolâ, de eorum fide ac salute praeclare meritus est. Nec facile quisquam ullam exquisierit rationem, quare *Jacobo* eâdem viâ regnum coelorum propagâre minus licuerit aut consentaneum fuerit.

Quod vero eidem improbabile videbatur Critico acutissimo, ad *omnes* verba facere scriptum, *qui terrarum per orbem fusi erant, Judaeo-Christianos*; dignissimum sane, si quid aliud, habendum erat quod ab omnibus et legeretur et in animorum frugem converteretur. At eâ jam aetate id exstitisse videtur, quo nondum permulti extra Palaestinae fines fundati essent ac constituti hujusmodi coetus. Quod omnino tenendum est, ne primorum, quibus destinaretur, lectorum numero praeter modum exaggerando eorumque parte in maxime dissitas barbarasque terrae oras ablegandâ, minus credibilem rem faciamus, quae dummodo saniore sensu accipiatur nihil quod quemquam offendat habet.

Verum, eundem si audimus Criticum, tam incertum est vagumque, quod scribendo sibi proponeret Auctor, consilium, tam vacillante illud pede vagatur, ut de germanâ harum litterarum origine jure dubitandum sit.

Enimvero quo attentius eas ab initio ad finem uno tenore legeris, eo clarius tibi elucebit, quaecunque continent docentque ad duplex hoc revocari posse consilium, quum ut erigerentur qui variis multisque oppressi essent aerumnis, tum ut ab erroribus vitiisque eos deterrerent, quae eorum animis vitaeque mala ac perniciem intentarent [1]). Hoccine igitur nonne consilium erat et per se satis grave Christique Apostolo dignum et tam accurate definitum et descriptum, quam lectorum patiebatur diversitas?

Nec vero sola haec sunt, quae acerrimo displiceant Critico Basileënsi nostramque ei suspectam reddant de Auctore sententiam. Tandem enim hoc etiam arguit, quod nulla aut fere nulla ab eo attingantur rerum momenta *historica*. Cui vero dubio nobis quae jure reponamus non desunt. Duplicis enim generis eae esse potuerant, quas hîc desiderari videmus, notitiae historicae, ut vel *Auctorem* plenius cognoscendum darent vel *lectores*. Sed non erat sane quod de sese ipso multa diceret, quem omnes cognitum habebant ac venerabantur, Scriptor gravissimus. Qualem fuisse nobis constitit Alphaei filium. Impostor quidem, qui alieno se nomine ornans surreptam sibi sumere vellet auctoritatem aut dignitatem, studiose id egisset ut rebus suis jactandis lectoribus audiendum se ac sequendum commendaret. Verum ejusmodi artibus uti germano Domini Legato, si vel licuerit, certe non conveniebat. Non est igitur quod eum hoc respuisse aegre feramus aut suspiciosum habeamus. Nec

1) Digna sunt quae hîc conferantur quae eâdem hâc de caussâ ante plures hos annos disputavit GUERICKIUS, l. l. p. 161.

magis historica copiose memorata videmus, quae singulorum coetuum res illustrent aut aliorum lectorum. Videte, quaeso, quam luculenter hanc ipsam per reticentiam confirmetur, quae *encyclicas* appellat litteras, inscriptio [1]).

Verum eo pluribus haec disputata displicebunt Criticis, quo certius multorum judiciis id prae caeteris egit Auctor, ut *Paullinam* de δικαιώσει institutionem vel emendaret vel confutaret vel ejus certe abusum cavendum curaret. Quae ipsa opinio et olim tot habuit et nunc habet nobilissimos patronos, ut asseverantem audiamus *Augustinum* [2]): „*Eâ in sententia*," inquit „*omnes*, „*quos noverim*, *consentiunt interpp.*, *quomodocunque id* „*explicandum sit*, *Paullina placita respexisse Jacobum*." Sic ille. Verum, quamvis multi sint qui hujus sententiae patrocinium susciperent, nullo tamen tempore defuerunt, qui illi non magis quam nos suos adjicere vellent calculos. Atque hos verum omnino vidisse mihi quidem persuasum est. Caeterum omnino hîc perpendendum videtur, ii quos proxime scriptum spectabat quo loco et quo honore *gentium* haberent *Apostolum*. Sed quid est quod datum ei nuncupem aut negatum *honorem?* Quidni potius contumelias memoro ac vituperia, quibus ubique fere eum proscindebant? Quidni persecutionum saevitatem atque acerbitatem, quibus nullo non die ejus vitae inhiabant? Neque enim qui a Christo aversi erant *Judaei*, sed etiam qui ad Deum conversi, a *Paullo* alieni, in *Paullum* infensi erant. Cujus eorum odii quum plurima exempla et ipsius epistolae commun-

---

1) Iterum hîc conferendus est GUERICK. p. 160—164.

2) Comm., p. 39.

strent et Actt. app., tum nullum forsitan gravius exhibent, quam quod quae singulari vir magnanimitate indefessâ operâ ab *Ethnico-Christianorum* coetibus ad fratres circumsectos adjuvandos *Palaestinenses* pecuniarum conquisierat atque impetrârat, id num his forte gratum atque acceptum dubitaret, quod quae ab invisâ manu offeruntur sordent fere ac displicent dona et beneficia. In iis, de quibus dico, melius, quin optime sentientes fuisse non nego. Verum oppido pauci illi erant neque eo certe numero atque auctoritate, ut ei aversos conciliare possent caeterorum animos. Quae quum ita essent, non magnopere profecto verendum erat ne Viri minime honorati in abusum traherent institutionem. Alterutrum si sibi agendum noster putâsset Auctor, confirmanda potius ei fuissent, quam confutanda aut emendanda Collegae placita.

Deinde longe abest ut ad eos, de quibus agimus, oppugnandos errores Paullinae de δικαιώσει doctrinae propagationem exspectare debuerit Jacobus. Perversae enim, quae hîc summo jure ab eo reprehenduntur, de fide et operibus opiniones altas Judaeorum in animis radices egerant, anteaquam Christo nomen dederant nonnulli. Quippe qui, quod Jehovam *unum* esse eumque *suum* Deum Patrum auctoritate sibi persuasum habebant, insolenter exsultarent ac gloriarentur. Quid quod nudam istam atque exilem cognitionem fidemque ad sempiternam sibi comparandam beatitudinem suffecturam sperarent. Quâcum animorum perversitate externa conjungebatur religio Deique cultus, qui in ritibus observandis caerimoniisque, a lege ac traditione praescriptis, secure acquiesceret. Quae quo majore superstitione persequebantur, eo minus plerumque vitae sanctitatem hominumque

amorem sibi curae cordique habebant. Quae vitia Judaeis eorumque singulatim ducibus *Pharisaeis* ipsum objecisse Dominum nemo ignorat. Jam vero ipsissimi illi erant errores ac malefacta, diu antequam ulla conscripta esset epistola *Paullina* inter degeneres regnantia Abrahami nepotes, quibus vel principe loco studioque salutarem afferre medicinam conatur Vir sapientissimus. Ejusmodi veluti theatrum nobis ejus aperiunt monita, quo quasi praesentes eos cogitantes videamus agentesque, qui adhuc popularium sordibus maculisque infecti aut iis certe nondum immunes essent [1]).

Tandem ab eâ, quam reprehendit Jacobus, animi vitaeque conformatione, toto coelo diversam esse gentium Apostoli doctrinam, plenior docet utriusque institutionum comparatio. Rei cardo in longe diversâ versatur quae apud illum et hunc τῆς πίστεως voci substrata cernitur notio. Apud *illum* igitur quid ea sit, quam vana verae pietatis umbra, modo antea vidimus. *Paullo* contra ea demum veri nominis *fides* est, *Christo* habita (cujus Jacobi in disputatione nulla fit mentio), quâ, eo intercedente peccatorumque caussam suscipiente, gratuitâ atque immeritâ Dei benevolentiâ salvos nos factum iri beatosque credimus ac nobis persuademus. Atque eodem auctore *Paullo* eo demum nominis honore digna est *fides*, quae intime nos Deo Christoque conjungit atque amoris et sanctitatis fons est uberrimus. De his plura

---

1) Haec omnia egregie exponit ac confirmat SCHNECKENB., et in disp. isagogicâ, commentario in Jac. subjectâ, et in libro *Beiträge zur Einl.* p. 196 sqq. Ubi imprimis perpendenda, quae affert, et ipsorum Judaeorum dicta et quae de iis ex JUSTINO MARTYRE atque HERMAE PAST. reponit.

postea. Sed non veram hanc esse repugnantiam, diversum utrique placuisse pro scribendi tempore atque opportunitate ejusdem v. πίστις usum, hoc est, quod Cap. II interpretantes demonstrare conabimur. Quae spes si nos non fefellerit, gravissimum germanae, quae scripto tribuenda sit, originis argumentum haec ipsa nobis suppeditabit objectio. Nihil quicquam enim erat quod ad eas, quas dixi, dubitationes excitandas atque alendas majorem vim haberet ac magis diuturnam, quam multorum immerita quidem, sed speciosa tamen opinio, qui de gratuiti Dei, per Christum peccata nobis condonantis, beneficii pretio multum hîc derogari putarent.

§ 5.

De epistolae argumento primis ejus lectoribus prudenter attemperato ac conformato.

Judaeos fuisse, quibus docendo atque hortando prodesse vellet Auctor, si vel minus diserte in ipsâ litterarum fronte diceretur, satis ex II. 21 appareret. Nec sane, nisi ad hos singulatim oratione conversâ, V. 4, Κύριον Σαβαώθ appellaturus fuisset. Ac principe loco eos spectâsse cives Scriptorem, qui fidei jam societate sibi conjuncti essent, ea quae I. 18. II. 7 et alibi monentur argumento sunt. Neque igitur ii sunt audiendi, qui solis ab initio destinatam esse epistolam Judaeis *nondum ad Christum conversis* putârunt [1]). Quamquam eos nequa-

1) Eos memorat POTTIUS, *Introit.* p. 118 sq.

quam lectorum suorum ex numero excludere voluisse Jacobum postmodum demonstrabimus.

Vitam igitur et illi et hi lectores agebant ἐν τῇ διασπορᾷ. Quae memoratur eadem et Judaeorum in dicto, *Joann.* VII. 35, et ineunte I *Petri* epistola. Quae vox proprie est *dispersio*, *dissipatio*, definito usu in N. F. de locis usurpatur, *in quibus exsulabant Abrahami posteri*, *quae Judaei habitabant* διασπαρέντες. Metonymice autem, veluti *Joannis* l. l., ipsi illi locorum incolae eodem hocce nomine vocantur.

Eorum, qui extra Palaestinae fines vivebant, duplex distingui solebat διασπορά, ab habitaculorum diversitate notata. Altera erat διασπορὰ Ἀσίας, cujus centrum *Babylon*. Altera διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων, cujus metropolis et propter florentem litterarum Graecarum culturam et propter incolarum Israëlitarum multitudinem *Alexandria* habebatur. Ad haec tertiam nonnulli adjiciunt aut primam, si mavis, praeficiunt διασποράν, minus proprio nomine usi, eorum, qui in ipsâ Palaestinâ habitarent, caput suum *Hierosolymam* agnoscentes, Judaeorum [1]). Christi autem atque Apostolorum aetate longe lateque evagati ac dispersi hujus populi cives et alibi et in celebrioribus certe omnibus Asiae urbibus atque emporiis suas vel *synagogas* habebant vel *proseuchas*. Non raro quidem fiebat ut extorres in Ethnicorum, quos paradoxa eorum instituta aut ambitio aut lucri studia offenderent, odia inciderent ac vexationes. Multae tamen exterorum civitates erant, ubi prosperam omnino suam lau-

1) Cum dictis conferatur HUG. l. l. p. 512 sq. Cui consentit POTT., *Introit.* p. 117 sqq.

dare possent fortunam, vel divitiis affluentes ex mercaturâ fere comparatis, vel propriâ quâdam suâque jurisdictione usi vel civilibus etiam ornati honoribus. Sed haec omnia aliaque ad universam τὴν διασπορὰν pertinentia tam accurate exposuit in recens editâ *de Christi et Apostolorum tempore* disputatione SCHNECKENBURGERUS [1]), ut eum de meliore notâ legendum commendare quam multa utiliter ab eo dicta repetere malim. Unum tamen nobis monendum restat, singulis illis διασποραῖς, in omnibus iis certe, quae cum religione cultuque conjuncta erant, eos praefuisse, qui vel *Babylone* vel *Alexandriae* vel *Hierosolymae* civium res sacras moderabantur. Verum omnium princeps erat ac magno omnium obsequio colebatur, quamdiu stabat, Ecclesia *Hierosolymitana*. Haec una erat, quae in nullam non τῆς διασπορᾶς partem sua mitteret consilia, statuta, decreta. Quibus etiam ipsi ii sibi parendum putabant, qui et *Babylone* et *Alexandriae* civibus praefecti erant. In toto autem hoc regimine hierarchico *Pontificis Maximi*, adstante et consiliario *Synedrio*, praecipuae partes erant et summa auctoritas. Multa sunt, ne quis dubitet, quae dictis fidem faciant scriptorum Judaicorum monita ac praecepta.

Jam igitur ad epistolae exordium illustrandum atque universam rationem declarandam haec accommodemus. Primario metropoleos coetui si Moderator anteibat Apostolus, illius apud totam, quâ late patebat, civium τῶν πιστῶν διασπορὰν auctoritas, cum potestate, quam omnes in Israëlitas exercebat *Pontifex Maximus*, quodammodo comparari potest. Quam comparationem inep-

---

1) *Vorlesungen über Neutestamentliche Zeitgeschichte*, 1862.

tam nemo dixerit, qui nullum simile esse meminerit, quod non item dissimile habeat. Sine dubio severiora quaevis, quibus reluctantes coërceret Synedrii Praeses, edicta ab euangelicae disciplinae simplicitate ac mansuetudine aliena fuisse atque abhorruisse inter omnes constat. Nec tamen affirmare vereor, nulli homini majus nec sanctius jus tribuisse Christianos, monitorum pietate atque adhortationum gravitate fratribus ubicumque habitantibus proficiendi, quam illi, quem suum quodammodo haberent Pontificis Maximi, alto se supercilio respuentis, vicarium. Quae omnia quo accuratius perpenderimus, eo luculentius scriptae epistolae historiam illustratam videbimus et vero confirmatam, quam tuemur, de Auctore sententiam. Neque igitur opus est justissimae caussae novum aliquod, quamvis minime infirmum, praesidium quaerere *Paulli* in testimonio *Galat.* II. 9; ubi sese, operis socio assumto Barnabâ, cum Petro, Joanne ac *Jacobo* amicum iniisse pactum narrat, ex quo ipse quidem *gentium*, illi vero *circumsectorum* maxime commodis consulerent. Quid enim per se magis probabile censendum est, quam qui ejusmodi scriberet encyclicam, eum potissimum fuisse, qui vitae et muneris gerendi domicilium civitatem sibi elegerat, unde profectum erat Euangelium ac propagatum. Sic igitur, quas vel minimas quis habeat, historiae sacrae particulae sibi invicem veracitatis veluti testimonium impertiunt, quod quo magis prae manibus est, eo majoris a nobis faciendum esse arbitror.

De omnium primis si quaerimus, quibus prodesse voluerit Alphaei filius, *lectoribus*, nec contemnenda est nec sine exceptione tamen amplectenda SCHNECKENBURGERI

suspicio [1]), qui ad *Asiae Minoris* singulatim *Syriaeque* coetus missam esse putat epistolam, quod, quo maturo tempore scribebatur, nondum ad alias extra Palaestinam regiones salutis doctrina propagata esset. Ubi et *Actt. App.* XV. 23 conferre jubet Vir acutissimus et *prioris Petrinae* caput. Ad illos quidem, anteaquam caeteris innotesceret, perlatum esse scriptum mihi quoque probabile reddit historia. Verumtamen non solos illos sibi obversantes epistola habere potuit, *ταῖς δώδεκα φυλαῖς* inscripta.

Priore jam, quam multi putent, aetate exstitisse epistolam antea nobis constitit. Monita igitur si recte se habent, eam nobis viam straverunt, quâ nunc pergentes inchoatam complere possimus atque ad exitum adducere ejus de natalibus disputationem. In longe vetustissimis igitur hoc numerandum censeo N. F. monumentis, eo consignatum id tempore, quo nondum a pervicacibus Judaeis plane sejuncti viverent Christo fidentes eorum fratres; ita illis commixti, ut multa et alia et religionis instituta cum iis communia habere pergerent. Cujus sententiae princeps ac palmare repositum est praesidium ipso in scripti capite, tam vago illo ac parum definito, ut neminem ex salutandi formulâ excludere videatur, qui *τῆς διασπορᾶς* socius esset, Abrahami nepotem. Neque enim ullam mihi fingere possum caussam probabilem, quidni, si ad solos verba facere vellet *τοὺς ἐκλεκτοὺς ἐ. τ. δ.*, collegarum instar, unos eos hic sibi salutandos duxerit. Cui vero argumento nova vis accedit et per memoratam *lectorum συναγωγήν*, II. 2, et per *Hebraïcum*,

---

1) *Beitr. zur Einleit. ins N. T.* p. 28.

quo, iis se quodammodo accommodans, *Deum* appellat, insolitum nomen. Neque hoc sane est quod recentiorem encyclicae originem indicat, quod, V. 14, soli memorantur coetuum duces ac consiliarii *οἱ πρεσβύτεροι*. Unde nondum iis praefuisse efficias eos, quos Paullus *Eph.* II: 10. 11 et alibi memorat, illorum socios adjutoresque. Quod tamen minus grave esse existimo, quam modo antea allata argumenta. Conferantur autem in comm. ad l. l. monita.

Eum tandem in locum qualiscunque haec perducta est disputatio, quo aenigmatis solvendi periculum facere possimus, quod per scripti argumentum, longe aliud illud, quam ab Apostolo exspectaveras, nobis objici ab initio monuimus. Non ita diu post ipsius Reipublicae Christianae natales, hâc etiam proditâ encyclicâ, suâ quâdam, quae ipsius personae optime conveniebat, ratione novos ei cives comparare volebat. Tempus id erat, quo Judaeo-Christiani, inter populares fere latentes, sibi privos quidem aliquos, quamvis occultos, agebant conventus, quibus Christi mortui in memoriam panem frangebant ejusque in coelo viventis in honorem sacros cantabant hymnos. Verum hinc si discesseris, non secus quam cives, statâ quâvis horâ, eorum adibant frequentabantque synagogas vel proseuchas. Et ibi et domi patriis institutis, ritibus, legibus haud dispari parebant obsequio ac religione. Hâc igitur rerum opportunitate, divinitus impertitâ, sibi potissimum sapienter utendum putabat Domini Legatus, cui per ipsum, quem nationis in metropoli tenebat, locum ac dignitatem parata ac sponte fere inde nata erat ad universam verba faciendi *διασποράν* occasio aut officium. Id igitur agens, iis etiam

eâdem operâ quamtumpote proficiendi studio ducebatur, qui, etsi Domini nomen nondum professi erant, ab eo tamen se non plane aversos praeberent nec avitarum superstitionum mordicus tenaces. Quod, favente Deo, non plane irritum fore propositum, quis meliore jure sibi sperare potuerat, quam ille, quem ii etiam, quos Christi adhuc fugiebat justitia, a vitae sanctitate *Justum* appellare consuevissent? Magnum quid jam erat, si eorum etiam aliquos vitiorum labe, quâ infecti erant, eluere posset. Verum non hoc solum erat quod spectaret. Nam spes erat aequius eos euangelium judicaturos leniusque ejus discipulos habituros, si quam arcte suis cum libris sacris id connexum esset, quam pulcre iis conveniens, percepissent. Erant in iis sine dubio, qui etsi nondum regni coelorum se cives praebuerant, non ita longe tamen ab eo remoti abessent. Quibus igitur id alacriter intrandi viam facilitare volebat ac commendare Vir pius, Christi hominumque amans. Cui igitur salutari consilio ne deësset, praetermittit aut leviter tangit quae nimium iis *σκάνδαλον* paritura fuissent. Hinc ille potissimum, quem diximus, nec alius, exemplorum delectus ac Prophetarum imitatio. Hinc posita magis, ac tanquam cognita sumta, quam diserte exposita, Euangelii bona ac beneficia. Hinc omnia illa, quae, si solis destinata essent Christianis, aliter conformata fuissent. Summam rei ut uno complectar verbo brevissimo: *vult haec esse epistola estque revera Christianae religionis schola propaedeutica.* Cujus veluti instituendae nullum sibi proponere poterat exemplum, quam habitam *a Christo Galilaeae de monte orationem.* Cujus et ipse aliique Apostoli auditores fuerant et simul cum iis promiscua homi-

num multitudo, cujus opinione non nisi *Propheta* Dominus esset, ὡς ἐξουσίαν ἔχων verba faciens. Ibi novimus quam admirabili sapientiâ eâdem operâ eodemque sermone et *suos* docuerit Ille et caeteros! Felicem igitur te praedicamus, Jacobe! qui supremi Magistri, cujus instar nemo unquam hominum locutus est, ita vestigiis institeris, ita divina verba imbiberis, ut non raro te scribentem legentes Eum dicentem audire nobis videamur [1]).

§ 6.

De epistolae stilo atque universo dicendi genere.

Quamvis multi fuerint, qui epistolae in argumento aut singulis nonnullis partibus varia vel desiderarent, vel reprehenderent, a stili tamen atque orationis praestantiâ optimâ de notâ plerique eam commendandam censuerunt Critici. Quamquam DE-WETTIO, hâc unâ in re germanum se praestanti *Lutheranum*, scripti displicuit materia, ut ne formae quidem meritas daret laudes. Verum paucos hâcce quidem in caussâ sibi assentientes habebit, qui ne hîc quidem soliti sibi oblitus est Scepticismi, Vir accutissimus. Pauca sine dubio antiquitatis sunt monumenta epistolari in genere, quorum tam

---

1) De Christi orationis inter et Jacobi ep. necessitudine ac conjunctione dignus est qui consulatur HUTHER (*Einl.* 2e *Aufl.* p. 19 sq.), ubi hujus etiam atque illius dicta similia nonnulla conferuntur. Quamquam quae ab eo memorantur Domini effata non sola sunt quorum vestigiis institit epistola. Scitum etiam KERNII, quod laudat HUTHERUS, dictum, ejusmodi esse epistolam, quae orationis illius lateri apponi possit (*ein Seitenstück derselben*).

ornata est atque tot dictionis luminibus distincta oratio. Sed non tam est dignus, quem admiremur, supellectilis rhetoricae nihil non amplexus ambitus, quam prudens idem ac copiosus delectus. Est enim multorum naufragiis infame, quod sibi veluti navigandum sumserat Auctor disertissimus, aequor. Et alios enim non paucos et epistolarum, quae editae exstant, scriptores eleganter scribendi studium in eum impulit ac deduxit scopulum, ut, vere monente *Quinctiliano*, nisi neglectis, parum certe curatis *rebus, in quibus caussarum nervi sunt*, id tantum agerent, ut elocutionis pulcritudine luminumque fulgore sententiarum tenuitatem tegerent ac jejunitatem. Quo ex inepto ac male sano qualiscunque elegantiae studio haud facile dixerim quam varia exstiterit troporum, imaginum, comparationum farrago ac multitudo, argumentum potius nebulis involvens illa, quam luce collustrans. Quae ejusmodi erat orationis figuratio ut, de rebus parum sollicitos in verbis solum desudâsse hujus furfuris auctores suspicandum esset. Quod magis etiam in *Orientales* convenit homines, quam in *Occidentales*, quorum non omnibus quidem, sed maxime probatis tamen epistolographis moderata magis arridet dicendi sobrietas et figurationis prudentia, quam illorum turgor ac temera tralationis audacia.

Inflato igitur isti ac turgido dicendi genere quantopere Alphaei filius antecellit! Ea enim, quibus dicta ornat, *lumina* ejusmodi sunt, ut gravissima, quae tradit, monita ac doctrinas reapse illuminent, clariore luce conspergant, sociorum ex pectoribus errorum vitiorumque caligini penitius depellendae egregie conducant, boni honestique desiderio atque amori fructuose inserviant. — — —

JACOBI IN EPISTOLAM COMMENTARIUS.

CAPUT PRIMUM.

SECTIO 1.

De eâ, quam *historicam* dicere possis, inscriptionis parte, quantum sufficere videbatur, dixit Introitus. Brevissimam salutandi formulam χχίρειν et alii copiose illustrârunt et, qui omnino consulendus est, THEILIUS. Quam autem lectoribus Apostolus apprecatur *laetitiam*, eâ animorum potius interna, quam vitae terrestris externa bona contineri, proxime sequentium cum salutatione copulatio docet.

SECT. 2—8.

Oratoriâ magis δεινότητι, quam epistolari familiaritate argumentum ingressus in ejusque veluti meditullium subito necopinantes rapiens lectores Auctor, quomodo iis considerandae sint docet et quibus animis ferendae, quae Christi caussâ incumbant, aerumnae et calamitates. „Non veri nominis *mala*, sed laetabilia potius *bona* hae „vobis censendae sunt calamitates, dum modo in iis „exanclandis recte, pie atque omnino *sapienter* versemini.

„Quam ipsam vero fructuose quasvis ferendi aerumnas „*sapientiam* ut nanciscamini, est vobis precibus adeun-„dus Deus idque prae caeteris *fidentibus*, nec inter spem „et metum nutantibus animis. Quae enim nullum *fidu-„ciae* sensum comitem habuerint preces, eas gratiose „exauditum iri nemo quisquam sit qui speret." — Ecce loci, qui nescio utrum majore orationis elegantiâ, an adhortationis gravitate cernatur, breviter informatum summarium. Nec valde dissimili ratione jam dictorum nexum Nederlandici interpp. constituerunt publice recepti post eosque VAN-DER-PALMIUS. Nunc de singulis singulatim videamus.

SECT. 2.

Πᾶσαν χαρὰν — περιπέσητε. Plane memorabilis ratio est, quâ praegressâ cum salutatione ipsius epistolae connectitur argumentum. Χαίρειν enim, *laetitiam*, lectoribus apprecatus, hanc vel praecipuam χαράν, i. e. *laetitiae* materiam sive fontem reputare eos jubet, si varias inciderint in tentationes. Itaque hoc jam per *oxymoron*, proprio quodam suo modo, praecedentibus proxime sequentia conjungit. De quo utriusque vocabuli nexu plures recte monuerunt, STOLZIUS, POTT., SCHNECKENB., alii. Verum scite imprimis animadvertit DE-WETTIUS admirationi haec dicta occurrere, quam miserrimis Christianis optata ipsis parere posset *laetitia*, a cujus fructibus sperandis quam longissime sibi remoti viderentur. Χαρὰν non ipsum laetitiae *affectum* esse, sed ejus potius *materiam* sive *fontem*, vix est quod moneamus. Πᾶσαν eam dicit, i. e. *solidam*, *meram*, *plenam*, ut *totam quan-*

tam laetam eam esse significet, nihil verae tristitiae sibi admixtum habentem. Quâ magnitudine sit ac puritate *spirituale* hoc, quod recte dixit GROT., gaudium, nullo id doloris sensu obrui debere docet Jacobus. In hâc, quae caeteris accuratior videtur, adjectivi interpretatione nobis assentiunt LUTH., interpp. Ned., RAPHELIUS, WETST., SEML., SCHNECKB., HUTH., atque, exeunte disputatione, eandem in sententiam discedere videtur THEILIUS. Non dissentit certe WINERUS [1]).

Ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις. Quod non *ἐμπέσητε*, verbo usus in N. T. frequentiore, sed *περιπέσητε* potius dicit, elegantioris Graecitatis, nisi studiosum, at probe gnarum sese prodit: *hoc* enim verbo, quod in N. T. apud unum *Lucam* bis exstat, optimi quique passim utuntur Classici. — *Πειρασμοί*, *tentationes*, omnia complectuntur, quae Christianorum vel fidei vel vitae pietati vel utrique pericula intentant. *Ποικίλοι*, *varii generis*, illi audiunt *πειρασμοί*, ne ulla calamitatis forma, Christi caussâ ejus cultores premens aut iis forte imminens, ex hâc excludatur adhortatione. Nostro autem loco de calamitatibus *externis* agi, quae ex adversariorum odio, furore, persecutionibus exsistant, sect. demum 13 *internis* de mali tentationibus, recte mihi docuisse videtur WIESINGER. Omnino consulendus ille.

Caeterum inexspectatum sane hoc atque ad acriter feriendos lectorum animos unice accommodatum epistolae initium ejusque veluti *πρόσωπον τηλαυγές*. Neque enim dicentem audiebant Ap.: „Moderate ac patienter „quasvis ferte aerumnas. Per eas ne vestros animos

---

1) *Gramm.* ed. 6, p. 101.

„dejici patamini." Verum eo gravitatis grandiloqua escendit ac plane *Jacobea* oratio, ut ipsa illa mala solidi *gaudii* loco reputare jubeantur. Tandem non propter ipsum doloris sensum laetas dici aerumnas apparet, sed propter divinae gratiae, mediis in iis nos suffulcientis, sensum suavissimum et vero fructuum inde percipiendorum spem certissimam et exspectationem. Quod recte jam Ned. monuerunt interpp. ac proxime sequentia probant.

SECT. 3. 4.

Γινώσκοντες ὅτι τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν. Ita sect. 3 legendam nobis exhibent et codd. unciales A. B*. C. G. K., item *Sinait.* Quibuscum et minusculi tantum non omnes consentiunt et vero, ne *Theophylactum* nominem et *Oecumenium*, probatissimae quaeque versiones. Quorum ea est auctoritas et consensio testium, quae nequaquam per paucorum infringi possit dissensionem, qui verba *τῆς πίστεως* omittunt. Quod soli fere fecisse deprehenduntur B** [1]), 81, Syr. Phil., Corbej. ac Cassiod. Mirum igitur nobis accidit plures fuisse VV. doctissimos, quorum nomina recenset REICHIUS, qui, verba illa vel proscribentes vel

1) In iis, quibus suspecta videntur verba, est DE-WETTIUS. Cujus ad comm. nihil h. l. monet, qui alteram curavit editionem, BRÜCKNERUS. Itaque hic etiam auctori assentire videtur. Quo magis nobis minus accuratum aliquod utriusque ed. dictum notandum est, a cod. B abesse *τῆς πίστεως* affirmantis; cujus *secunda* demum manus uncinis id inclusit. Atque eodem in errore versatur WIES., qui per cod. illius cum verss. nonnullis, verba omittentibus, consensionem incerta quodammodo ea reddi contendit.

certe in dubium revocantes, *horum* potius testium levitatem et paucitatem, quam *illorum*, quos dixi, gravitatem et numerum sibi sequendum putarent. Sed laudandus nobis TISCHEND., qui ex ed. quidem Lips. 1 et 2, item ex N. F. trigl. substantivum cum art. excluserat, nunc vero in septimâ, quam ultimam habemus, ed. in antiquam id restituit sedem, ac brevi hâcce adscriptâ notulâ, mutatam tuetur sententiam: „*Non satis*," inquit, „*auctoritatis a testibus habet*" omittentium verba ratio. Recte sane ille. Sed ad gravissima testium suffragia internum aliquod accedit argumentum, quo non multum abest quin rem confici existimem. Sententiae enim perspicuitas atque integritas memoratum requirit *genitivum*. Quo demto quid tandem tenue illud significabit atque elumbe dictum: „*τὸ δοκίμιον ὑμῶν constantiam parit*"? Aut certe, si utcunque possis, explicueris, hoccine pro stili *Jacobei* copiâ est atque ubertate? — Nec vero probabile est, quod nonnulli suspicantur [1]), ex loco 1 *Petri* 1. 7, ubi item memoratur *τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως*, nostrum hunc tot interpolâsse, quot verba tuentur, diversi generis testes gravissimos. Quidni potius, si incertâ in re sit hariolandum, paucissimos illos, qui omittunt, per interjectum *δοκίμιον* inter et *τῆς πίστεως* pron. *ὑμῶν*, de constructionis ratione dubitâsse, atque hâc nunc in haesitatione loci meminisse *Rom.* V. 3, ubi, nullâ *fidei* mentione factâ, dicentem legerant Ap.: *ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται*?

Quidquid sit, nam erroris de caussis nihil certi definio,

---

1) Id fieri quidem potuisse putat HUTH., sed eam esse testium *τῆς πίστεως* tuentium auctoritatem, ut spurium id haberi non possit.

tam accurate locum tuitus est REICHIUS, ut justa spes sit neminem amplius fore qui locum sollicitando sibi placeat.

Receptâ igitur confirmatâ lectione, quaeritur quid sit δοκίμιον. Alii *explorationem*, *probationem* esse putant; alii illius effectum, *probatam animi conditionem*. Verum omnino ipsius vocis cum ratione convenientius est et contextui aptissimum, ut explicemus *id*, quo *exploratur* aliquid ac *probatur*, *explorationis instrumentum ac subsidium*. Ita fere post GROTIUM SEML., HOTT., POTT., SCHULT., SCHNECK., GEBS., THEIL., REICH., WAHL. Quo praeëunte Lexicographo monendum est compendiariam hanc esse locutionem, ex proxime praecedentibus supplendam illam, quâ τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως dicitur pro: ὁ πειρασμὸς, ὅς ἐστι δοκίμιον τῆς πίστεως, *tentationes illae s. calamitates*, *quae fidei explorandae conducunt atque inserviunt.* Hoc igitur δοκ. κατεργάζεται ὑπομονήν. Ipsae illae, *quae fidem explorant*, *aerumnae constantiae* sunt *effectrices ac veluti parentes*, fidei, pietatis speique constantiam vestris in animis excitant et confirmant.

Instat jam ut bina alia comparemus dicta apostolica, 1 *Petr.* I. 6. 7 et *Rom.* V. 3. 4. Quorum ex priore, manifestam loci Jacobei imitationem habente, *hujus* quoque ita paullo plenius enuntiari posse sententiam apparet: *Sicuti ignis per vim auri pretium ac puritas, sic per calamitatum vehementiam fidei constantia probatur.* Simillimo hocce loco, pro Jacobeo: ὅταν περιπεσ. πειρ. ποικ., scriptum legimus: λυπηθέντες ἐν ποικ. πειρ. Verba autem τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστ. utroque loco et plane eadem exstant et eodem ordine collocata. Sed mox imaginem, *Jacobo* etiam obversatam, disertius explicat *Petrus*. —

Geminus etiam locus *Rom.* V. 3. 4; ubi idem plane, quod noster Auctor πειρασμοῖς, *Paullus* τῇ θλίψει tribuit: κατεργάζεται ὑπομονήν. Ibi autem δοκιμή, non confundenda illa nostro cum δοκιμίῳ, res effecta cum caussâ, ipsa *indoles* esse videtur per aerumnas *spectata ac probata*. Ita, vere monente ad l. l. VAN-HENGELIO, omnes fere recentiores interpp.

Memorabilis sane hic est trium, quos diximus, Apostolorum, calamitatum fructus laudantium, unanimis consensus. Quum praesertim et *Jacobus* et *Petrus* suum uterque scriptum τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ destinarent. Quamquam longe generalior ac minus arcte circumscripta *illius* est, quam *hujus*, epistolae inscriptio.

Cum h. l. SENECAE locum post SEML. comparavit HOTT.: „*Opus est ad notitiam sui experimento. Quid quisque pos-„sit nisi tentando non didicit.*" Dignum profecto hoc quod lectorum in memoriam revocemus Philosophi dictum; a nostro tamen longius recedens, quam quae contulimus *Paulli* et *Petri* imprimis monita.

Ἡ δὲ ὑπομονή κ. τ. λ. Dicti ea est forma, ut Auctoris denuo referat consuetudinem verba aut eadem repetendi aut conjugata praecedentibus subjiciendi, ut, catenae veluti annuli connexae, arctius ligentur orationis partes. Quo ipso singularem orationi concinnitatem conciliari ac dignitatem scite monuit WIESING. Uti enim supra χαράν ad praegressum χαίρειν, sic h. l. ad τέλειον respicit τέλειοι. — Tum, ubi continenti serie juncta videmus praedicata τέλειοι καὶ ὁλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι, et universe dicendi copiam attendamus, quâ in paucis haec excellit epistola, et Apostoli singulatim morem, quae imprimis urgenda putat et acuenda, ea, et vera *affirmando*

et falsa *negando*, disertius declarandi. Quâ de re v. ad h. l. GEBS. Haud aliter, ut unum certe, quod proxime sequitur, exemplum hîc afferam, sect. 6 ἐν πίστει per contrarium explicatur μηδὲν διακρινόμενος.

Nec obscurum dicti argumentum est et consilium. Id enim agit, ut cujusmodi esse debeat laudata illa constantia *praecipiat*. Nam dubium non est quin, sicuti proximâ sect. αἰτείτω, ita hîc *Imperativus* ἐχέτω *praeceptum* contineat, non emolliendum illud in *optantis votum.* [1]) Quod qui, praeëunte POTTIO, faciunt, videant ne *Jacobi* ignorantes sese prodant, non ita laxe atque indulgenter cum hominum agentis imbecillitate. Quod recte, p. 60, monuit WIES. — Ἔργον significanter hîc et argute singulari numero, ut unum aliquod totum, positum, omnia ea sensa, dicta, facta continet ac complectitur, quibus cernitur seseque exserit *constantia.* Eodem plane modo, quo, 1 *Thess.* I. 3, *omnem fidei efficientiam* indicat τὸ ἔργον τῆς πίστεως. Haec igitur ὑπομονή *consummatum opus habere*, i. e. sibi adjunctum sibique consequens tenere dicitur, quando ita se gerit, in quo habitat, homo, ut universam per vitam et animum et linguam et pedes regat ac moderetur. Nam praestantissimi dicti haec vis est ac nervus, ut, qualis homini sit τῆς ὑπομονῆς τελειότης, talem ipsum censendum esse demonstret.

Ἵνα ἦτε τέλειοι, inquit, καὶ ὁλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι. Duo priora epitheta ne cum POTTIO *plane synonyma* dicamus, ita distinguere quodammodo possumus, ut τέλειος eum significet, qui *consummatâ* est *virtute*, ὁλόκληρος, *perfectionis* inde natae *consors ac particeps*, vel ut prius

1) Προστακτικῶς accipiendum esse jam monuit *Oecum.*

vitii *labe carentem* indicet, posterius *omnes* virtutis *partes habentem*. Illud SCHNECKENBURGERO placuit, hoc GROTIO. Alii aliter. Utrumque certe, ne quid exceptionis relinquatur, acuit, tertio adjecto *ἐν μηδενὶ λειπ.*, *nullâ* constantiae atque universae virtutis *parte deficientes*.

Neminem esse, qui hocce in stadio perfectionis, cui nihil humanae imbecillitatis adhaereat, metam plane attingere possit, non sane ignorabat Apostolus; quo ipso monente, III. 2, *in multis hallucinamur omnes*. Sed eo summâ nec unquam intermissâ virium contentione nitendum esse, ipsum praecipientem audiverat Christum, *Matth.* V. 48. Quem imitatus, quid nisi assequendum, certe constanter sequendum esset lectoribus ac quaerendum, gravissimus docet Auctor. Quo majores enim ἐν τῇ ὑπομονῇ, juvante Deo, progressus fecerimus, eo minore spatio a virtutis consummatione remoti erimus. Cff. quae eandem in sententiam ad h. l. disputavit SEMLERUS.

SECT. 5.

Εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας. Dictis facile fieri poterat ut lectorum aliquis objiceret: „Eccui nostrum „talis illa est ac tam consummata sapientia, quâ fiat, ut „ne a difficillimis quidem his, quibus agitamur, πειρασ„μοῖς ab eâ, quam commendas, constantiâ sese deflecti „patiatur?" Cui igitur pusillanimitatis objectioni occurrens Auctor, opportune docet, quid faciendum sit, *si quis*, tantâ pressus malorum mole, *sapientiâ* ad ea recte ferenda *destitutum se sentiat*. Ubi v. λείπεται ex proxime praecedente suspendi ἐν μηδενὶ λειπόμενοι quis est qui non videat? Sed quam clarum hoc est, tam certo mihi

quidem non audiendos esse constat interpp., in quibus post DE-WETTIUM HUTHERUS, qui ex monitis de πειρασμοῖς ferendis continuo, saltu veluti Rhodio, ad *universam vitae recte gerendae sapientiam* lectores proripuisse Jac. opinantur. Nec multo melius GEBS., quod infra, s. 17, *omnia bona* a Deo in nos redundare dicantur, cuncta ea hîc quoque intelligi putat. Etsi enim ex Apostoli mente, in nullâ non vitae conditione, eâdem viâ sapientiam esse quaerendam facile largior, nostri tamen loci contextus huic melius convenientem requirit interpretationem.

Αἰτείτω — καὶ δοθήσεται αὐτῷ. Primum hîc monendum est pro verbis παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ, quo ordine in omnibus fere leguntur libris, male in solo fere cod. A. ordinariâ scribi constructione παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ διδοντος. Quam lectionem etsi perperam SCHULT. praetulerat et THEIL., recte receptam retinuit TISCH. Eleganter autem ita, ut fecit Auctor, ordinatis verbis, cum *petendi* praecepto proxima connectitur Dei *dantis* mentio. v. BRÜCKN. ad DE-WETT. et HUTH. — Post διδόντος minus accurate POTTIUS aliique supplent πάντα: contextus enim ut σοφίαν intelligamus requirit. — Τοῦ διδόντος πᾶσι, nimirum tam piâ mente petentibus, quam proxima praescribit sectio 6. — Sed quaeritur imprimis, quid sit, quod ἁπλῶς impertiatur sapientia. Adverbium enim multi explicant *facile ac candide*, integerrimo probissimoque consilio, *sine cunctatione* illâ *ac tergiversatione*, quâ saepe homines utuntur, longis demum ac frequentibus exorari se patientes precibus. Ita fere HOTT., TH., GEBS., POTT., JACHM., item in Lexicis quisque suis, BRETSCHN., WAHL., GRIMM. Melius certe hi, quam alii, in quibus Vulg., ERASM., interpp. Ned., GROT., SEML., qui, plane repugnante

usu loquendi, ἁπλῶς dictum sumunt pro *copiose*, *affluenter*. Sed operae pretium est ejus notationem paullo accuratius definire. Ipsum quidem hoc adverbium, quo, *Proverbb.* X. 9, Hebraicum בְּתֹם exprimunt LXX, solo hoc N. F. loco scriptum exstat; pro eo vero paullo pleniore locutione, eâdem, ut videtur, potestate, semel iterumque PAULLUS dicit ἐν ἁπλότητι. Vi vocis igitur eâ *simplicitate*, ita *simpliciter* agit ille, qui, hoc unum agens, nullâ re nec ullâ alienâ cogitatione ab eo, quod faciendum suscepit, avocari se sinit, aut deterreri; cujus igitur factum illibatâ cernitur, quam nihil inquinet, consilii puritate. [1]) Nullo autem loco disertius haec ab ipso auctore commendatur interpretatio, quam nostro hocce *Jacobeo*. Quod enim *affirmando* enuntiârat Ap. ἁπλῶς, continuo id, consuetâ sibi ratione, contrario *negando* ilustrat: καὶ μὴ ὀνειδίζοντος, i. e. *qui non exprobrat, non contumeliose dat.* Sic enim rectissime, post ZWINGL. et LUTH., interpp. Ned., MICH., POTT., TH., SCHULT., GEBS., HUTH. En egregiam sane sententiam! „Non exprobrat „Deus, sicuti miseris exprobrare solent, qui non liben„ter dant, homines, toties jam sese ac tam multa de„disse." Ita optime jam interpp. Ned. Nec igitur petentibus objicit quod beneficiis denuo accipiendis indignos sese reddiderint. „*Exprobratio enim*," quod acute dixit ZWINGLIUS, „*beneficium vitiat ac perdit, quin ex beneficio „maleficium fit.*" Et alia erant quae jure iis objicere posset Deus, et singulatim quod in ferendis πειρασμοῖς non satis constantes se demonstrassent nec fidentes.

1) *Paullinis* de locis, agendi ἁπλότητα commendantibus, conferri possunt, si tanti est, quae diximus in *oratt. sacris* (*Traj. ad Rh.* 1860) p. 245—247.

Verum ne hoc quidem eos ab hoc praecepto sequendo deterrere debebat. Atque omnino rogatos volo lectores ut similes conferant *Jesu Siracidis* locos, a THEILIO laudatos, qui fieri potest ut Jacobo obversati sint.

Huic quidem, quam unice veram existimo, interpretationi *absurdam esse* objicit HOTT., *in Deo molestam cogitare beneficiorum exprobrationem*. Quam vero objectionem strenue jam diluit, qui consulendus est, POTTIUS. Sit sane hoc absurdum; at non minus absonum, quod hujus ipsius capitis sectio 13 diserte ac graviter confutat commentum, maligno consilio quemquam a Deo πειράζεσθαι. Nec vero *Patre luminum* minus indigna est sententia, quam hîc refutatam opinatur et ipse HOTT. et cum eo CARPZOV., MORUS, STORR., STOLZ., AUG., alii. Hi enim, Hebräismos quaerendi studio abrepti, quoniam LXX non raro Hebr. חֵרֵף vertunt per ὀνειδίζειν, nostro etiam loco ita hoc verbum explicant, ut dicatur Deus *non ignominiose nostra repellere desideria*. Verum, recte docente THEILIO, quo cum HUTHER. etiam conferatur, non permittit usus loquendi ut nude, sine ullâ definitione positum, hoc verbum de ejusmodi *precum repulsione* accipiatur. Neque igitur est quod ab eâ, quam supra commendavimus, recedatur vocis interpretatione, quae, ut optime per se est confirmata, ita egregie praegressum explicat, quod Deo danti *simplicitatem* tribuit, adverbium ἁπλῶς.

Quod reliquum est, Christi Discipulum ubi monentem audimus: αἰτείτω — — — καὶ δοθήσεται αὐτῷ, nemo jure dubitaverit, quin simillimum ipsius Domini dictum imitetur atque ad suum attemperet consilium: αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν, *Matth.* VII. 7[a].

SECT. 6.

Αἰτείτω δὲ — διακρινόμενος. Hîc, ubi proximâ ex sect. repetitur ac resumitur *αἰτείτω*, id quod sequitur, *ἐν πίστει*, brevissime idemque rectissime GROT. explicat: *cum fiduciá impetrandi*: ac paullo plenius POTT.: *cum certá impetrandi fiduciá, diviná in benignitate repositá.* Cujus interpretationis de veritate dubitare non sinit ipse Auctor, qui denuo *affirmanti* huic *negans* alterum adjicit enuntiatum: *μηδὲν διακρινόμενος*, i. e. ita, ut *nullá in re, nullá in vitae difficultate*, ne tum quidem, ubi non continuo votorum compos redditur, *incertus haereat, utrum a Deo*, de cujus nec potentiâ dubitat nec voluntate, *quae petierit accepturus sit, an repulsam laturus.* Μηδέν enim non, secundum POTTIUM, pro simplici *μή* dictum putaverim, quippe quod omnem potius praecidat cujuscunque conditionis exceptionem. — Participium *διακρ.* totumque adeo enuntiatum luculenter fons illustrat, unde haustum est, Domini dictum, *Matth.* XXI. 21 sq., ubi item de precibus agitur, quas exauditurus sit Deus, in quibus, plane ut nostro loco, conjuncta requiruntur *πίστιν ἔχειν καὶ μὴ διακρίνεσθαι.* Cf. non solum simile Christi dictum *Marc.* XI. 23, sed *Paulli* etiam monitum, *Rom.* IV. 20, in Abrahamo fuisse negantis *τὸ διακρίνεσθαι τῇ ἀπιστίᾳ.* His de dictis consulantur etiam ad h. l. THEIL. et WIES.

Ὁ γὰρ διακρινόμενος — ῥιπιζομένῳ, *qui enim dubitat fluctui maris similis est, qui a vento movetur et circumagitur.* Unda sicuti marina a ventis impellitur et nunc huc, nunc illuc jactatur; ita illius modo sperat, modo spem abjicit animus. Sic recte GROT. Ἀνεμίζειν et ῥιπί-

ζειν in exquisitis illis sunt *Jacobi* verbis, quorum nulla alia in N. T. exstant exempla; nec prius usquam alibi, quantum novimus, invenias. Sententiarum nexus hic est: qui diffidentem istam alit in pectore dubitationem, universâ animi conformatione fluctuat, neque igitur verae sapientiae consors fieri potest. En tibi argumentum, *ex ipsâ* petitum *rei naturâ*, quo dictum confirmatur, quod non nudâ enuntiatur oratione, sed elegantissimâ nostros ante oculos depingitur imagine.

SECT. 7. 8.

Μὴ γὰρ οἰέσθω — Κυρίου. Interpretationi brevissimum hoc praemittimus monitum orthographicum. Tischend. et hîc et passim alibi vulgari Futuro *λήψεται*, codd. secutus A. B. C. *Sinait.* [1]), Alexandrinam substituit formam *λήμψεται*. Mutati autem consilii (nam in primâ adhuc ed. Lips. *λήψεται* conservarat ipse) rationes 7mae ed. in Prolegg. exponit [2]). Ego quidem non certo definierim, utrum ad paucorum illorum codicum, qui Alexandrinas loquendi formas venando natalem suum locum produnt, exemplum N. F. componenda sit scriptura, an potius caeteri fere omnes optimae etiam notae testes sequendi sint. Universe autem profiteri non dubito, nimis cupide mihi videri in N. F. Alexandrinas inculcare

1) Solus hic illud post verbum male omittit *τι*. Quod probabiliter factum est quod eodem fere sono, quo proxime praecedens syllaba *ται*, hoc pronuntiabatur *τι*.

2) P. XLVI sq. — Atque Alexandrinam hanc formam passim recentissimos quosque assumsisse editores vere monet Alex. Buttmann, *Gramm. des neutest. Sprachgebr.*, p. 54, qui tamen suum ipse non interponit judicium.

dicendi formas multos nostri temporis Criticos. Neque enim satis meminisse videntur *communem* illam ac recentiorem, quâ conscriptae sunt N. F. tabulae, formam non eandem fuisse, atque eam, quae *Alexandrinorum* ejusdem aut paullo recentioris temporis usu tereretur. Haec semel monuisse nobis quidem sufficiat: neque enim ii sumus qui orthographicis tenebris certam afferre lucem possimus.

Nostri loci ad interpretationem quod attinet, nemo velim vel cum POTTIO *γάρ* pro nuda habeat *transeundi* particulâ, vel cum WIES. sect. 6 et 7 unam solum eandemque afferri rationem, quare exoptatae sapientiae consors fieri nequeat *ὁ διακρινόμενος*. Modo antea enim animi huc et illuc jactati, quae sapientiam excluderet, memorata erat conturbatio. Hâcce autem sect. altera proditur eaque *externa*, quam dicere possis, caussa, quâ fiat ut frustra precetur. *Deus enim*, inquit, cui ejus merito displicet diffidentia, quod petit *dare non vult*. Atque ita per conj. *γάρ* cum praecepto *αἰτείτω ἐν πίστει* haec conjunguntur.

Ἀνὴρ δίψυχος κ. τ. λ. Eâdem hîc continuatâ sectione ac majore sublatâ incisionis notâ, per *appositionem* superioribus haec annectenda fuerant: *homo* nimirum *duplicis animi, in omnibus suis actionibus inconstans.* Sic recte jam CASTELLIO, neque aliter CARPZOV., MORUS, THEIL., HUTH. atque ille, qui hujusmodi in caussâ primus nobis memorandus fuerat, Grammaticorum N. F. princeps, WINERUS [1]). Recte igitur ad eandem hanc ratio-

---

1) Hic enim *Gramm.* p. 472, pluribus allatis ejusmodi constructionis exemplis, nostrum locum ita Germ. reponit: *er, ein zweiherziger Mensch.*

nem nuperrimam conformavit editionem TISCH. Neque enim quicquam caussae video, cur, novâ hîc inductâ periodo, quod multis placuit, arctissime nexam dissecemus orationem. Vide autem, quam exquisito verborum delectu, ad ipsam naturae veritatem composito, miseri hominis jactationem depingat Auctor. Δίψυχος enim *internas* animi, πίστιν inter et ἀπιστίαν nutantis ac vacillantis, luctas describit et certamina; ἀκατάστατος κ. τ. λ. *vitae externae* actionumque hinc exsistentem inconstantiam. Omnino consulendus, qui optime haec explicuit, HUTHERUS. Nec negligendi Veterum loci, quos olim GROTIUS, nostrâ aetate contulit GEBSER. — Quantam igitur pestem ac quam fatale exitium universum in hominem, et secum versantem illum et agentem, impia ista inferat diffidentia, disertius etiam atque efficacius quam supra, sect. 6, factum legebamus, hîc descriptum vidimus.

Quod reliquum est, et *illa*, a jactatis maris undis petita, imago et imprimis proxima haec τοῦ διακρινομένου descriptio cavendum esse monent ne, praeter modum Auctoris verba prementes, ab ejus mente aberremus. Non sane τῇ ὀλιγοπιστίᾳ necdum satis confirmatae et cum carnis imbecillitate luctanti fidei sapientiam aliaque a Deo beneficia impetrandi spem praecidere voluit. Neque enim ignorare poterat intimus Christi amicus, quâ ille bonitate voti compotem hominem fecisset, cui fatendum esset: *Credo, Domine! Succurre diffidentiae meae.* Ejusmodi autem justâ severitate hîc reprehenditur διψυχία, quae, modo in Deo spe repositâ, modo in mundo, plane dubia haeret, utrum ab *Illo* potius, an ab *hoc*, optima quaeque bona sibi petenda sint et exspectanda. Breviter ut dicam, aut iidem sunt, qui hîc reprehenduntur, ho-

mines, aut eorum certe similes, qui, Cap. IV. 3, compellantur: *Precamini et non adipiscimini, quia male precamini, ut in vestras impendatis libidines.*

SECT. 9—18.

Haec denuo omnia dicta cum iis, quae de recte ferendis πειρασμοῖς superiora monuerant monita, connexa apparent. In iis enim, quos ποικίλους vocaverat sect. 2, vinculum cernitur, quod cunctas loci partes copulatas tenet. Sectt. enim 9—11 ad *tentationes* referuntur, quibus vel egestas nos ad peccandum allicit vel divitiae. Ad quas feliciter vincendas illecebras ut piam adhiberent ὑπομονήν sect. 12, gratuitae mercedis aliquando nanciscendae blandâ spe ostensâ, lectores impellit. Quae monita quam apte et quam apposite nunc sectt 13—15 excipiunt!

Hîc enim ne sanctissimum in *Deum tentationum* suarum atque inde manantium peccatorum culpam conjicerent lectores obtestatur Apostolus. Quâ impiâ criminatione justâ cum indignatione repulsâ, sponte in contrariam deductus sententiam, adeo *mali* nihil Deum auctorem habere docet, ut a *Patre* illo luminum omnia potius in nos *bona* redundent et hoc singulatim summum beneficium, quod novam nobis per Christum vitam impertierit. Haec sect. 16—18.

SECT. 9. 10.

Καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς — ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, *suâ de sublimitate, qui humilis est, frater ac de animi, nihil*

sibi arrogantis, modestia, qui dives est, glorietur. Sic enim loci acumen non plane reddendum quidem, quod ejus prohibet brevitas, sed quodammodo tamen reponendum putamus. Ταπεινός sine dubio Christianus proprio sensu dicitur *egenus, tenui atque abjecta vitae conditione usus;* quo commodius ipsius opponeretur ὕψος et quo magis hoc acueretur ejus decus. Eorum, qui primi Christo nomen dederant, alii multi ipsâ natalium sorte egeni erant, alii, opulentiorum civium odiis ac persecutionibus obnoxii, ad egestatem redacti. Hi igitur, quum, pro promissâ Christianis felicitate, penuriam vitae suae ac domibus objectam viderent, periculum erat ne vel animum desponderent vel deficiendi adeo a fide πειρασμῷ succumberent. Quem igitur molestum tenuitatis suae miseriaeque sensum ut obruerent ac suffocarent, *gloriari* eos Ap. jubet suâ de *altitudine*, i. e. quod, tanquam Christiani, in sublimi quodam felicitatis atque honoris fastigio collocati essent, quippe qui, ex sect. 18, *Dei operum quaedam quasi primitiae* dici possent. — Ὕψος enim recte jam GROT. et interpp. Ned. de *honore* interpretati sunt, quo, tanquam *Dei filii*, nunc jam uterentur οἱ ταπεινοί. Non excludi quidem fidentium ex cogitationibus *vitae futurae gloriam*, ex sect. 12 apparet. Sed qui solam hanc cum MICH., WETST., DE-WETT., partim etiam cum THEILIO hocce jam loco spectatam putant, videant ne pulcherrimum enervent dictum ejusque verbis vim faciant. V. autem καυχάσθω, quam eleganter et quam exquisite cum adjecto componatur ὕψος, vix opus est ut moneamus. Sed nolim quisquam, cum SCHLEUSN. in Lex. aliisque non nullis, ita id attenuet, ut nihil sit nisi *attente de re cogitare.*

Post proximum disjunctum ὁ δὲ πλούσιος non dubito quin superiore ex membro supplendum sit καυχάσθω. Quod recte fecerunt AUG., GEBS., POTT., JACHM., VAN-DER-PALM., alii. Non pauci quidem fuerunt qui in altera hâc dicti parte *contrariae* significationis verbum supplendum esse opinarentur, sive αἰσχυνέσθω, sive ταπεινούσθω, seu φοβείσθω. Sic post OECUM. GROT. et HOTTING. Quod vero ita non necessarium esse vere monet WINER., [1]) ut, eodem denuo subaudito καυχάσθω, pulcrius nobis exsistat enuntiatum. Acerbius autem *contrarii* supplendi artificium illud elegantissimus exagitat HERDERUS. Quo quidem judice plane id attemperatum est ad hujus, quae *Orientis* ingenium redoleat, γνώμης delendam pulcritudinem. Sed eorum ipsorum, qui in *eodem* supplendo Imperativo recte consentiunt, diversas peperit sententiosa et arguta dicti brevitas interpretationes, quas a THEILIO imprimis accurate recensitas videas. — Ταπείνωσις commode certe explicari nequit de *futurâ* quâcunque, quae opulentis metuenda esset, sortis immutatione; oppositum enim ὕψος quum id significet, *quod tunc jam adesset*, tale quid hîc etiam indicari censendum est. Nec vero contextui convenit atque adeo inepta est, quae de *humili* eorum conditione futurâ cogitare jubet, explicatio. Hanc enim si *gloriandi* materiam haberent, hoc si in felicitatis numero haberent, eas nunc jam sponte suâ abjicere poterant. Longe igitur praestat, praeëuntibus interpp. Ned., GROTIO, WOLFIO, RAPHELIO, SEML., HERDERO, ταπείνωσιν eam intelligere animi, nullis opibus sese efferentis, *modestiam*, quâ tam demisse sentias, ac si plane

1) *Gramm.* p. 548 et.

inops sis. Sed, quo plenius in Apostoli mentem nos insinuemus, Christi nobis perpendendum est praeceptum, semel iterumque cultorem suum jubentis ἑαυτὸν ταπεινοῦν. V. *Matth.* XVIII. 4. XXIII. 12. *Luc.* XIV. 11. XVIII. 14. Dominum igitur imitatus, Jacobus divitem animo se suo ita ταπεινοῦν jubet, ut τῷ ταπεινῷ similem sese reddat, solo glorianti, quem Christo debet, honore ac decore. Quod ita sane optimâ viâ facturus erat, si ipse etiam eidem nomen daret Domino. Ejusmodi enim compellari divitem, qui nondum Christianus esset, hinc probabile mihi reddi videtur, quod τὸν ταπεινόν quidem, non item *hunc* ἀδελφόν appellabat. „*Nec sine caussâ,*" quod recte annotat BEZA, „*videtur Jacobus scripsisse* ταπείνω-„σιν, *non* ταπεινότητα, *quorum* hoc *statum atque condi-„tionem*, illud *actionem studiumque magis significat.*" — Ita praeclare Duumviri illi, quorum monitis hoc unum addimus, ubi modestâ animi conformatione sensuque *gloriari* jubet Auctor, summo honori hunc cuique mentis sensum ducendum esse monere. Repeto eum non raro ideo externas commendare actiones, ut magis lucide ac magis graphice interna laudet, unde proficisci debeant, animi sensa et cogitata. — Tandem verborum ὕψος et ταπείνωσις non nisi obliquam esse disjunctionem nemo mirabitur, qui *Salomonis* haud paucis legendis proverbiis tritas habet aures.

Ὅτι — παρελεύσεται. Quo plenius dicti paullo abruptioris nexus intelligatur, *ante haec verba*, partim ex superioribus, partim ex sequentibus facile suppleri potest: καὶ μὴ καυχάσθω ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ ὁ πλούσιος. Nullâ autem urgente necessitate, post ER. SCHMIDIUM, HOTTING. ac SCHULT. nostra haec verba *protasin* habent, cujus

apodosis, exeunte demum sect. 11, dicto contineatur: *οὕτω — μαρανθήσεται*, cujus igitur sect. prius hemistichium parenthesi inclusum censeatur. Quam vero rationem durissimam esse recte monuerunt JACHM. aliique. Comparationis enim, quam plenius proxima explicat sectio, ita hîc breviter summam praemittit; *uti herbae* sive plantae agrestis *flos*, *sic peribit*, nimirum *ὁ πλούσιος*. Neque enim est quod, THEOPHYL. praeëunte aliisque, suppleamus potius *ὁ πλοῦτος*. Quo facto, manifestâ neglectâ disjunctione, loci vis enervatur. — *Παρελεύσεται*, utut simili respondeat Hebraici עבר usui, vix tamen *Hebraïsmum* dixerim, quando apud probatae Graecitatis auctores eâdem etiam scriptum exstat potestate. Notetur autem pro generaliore hoc verbo, exeunte s. 11, praegressâ ex imagine ductâ voce eoque lectorum animis revocatis, de eodem dici divite *ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται*. Cf. THEIL. Calidis autem in Orientis campis, nullâ hominum arte excultis, sponte suâ multo pulchriores exstabant flores, quam in incultis nostrarum regionum tractibus effert natura.

SECT. 11.

Ἀνέτειλε γὰρ κ. τ. λ. Videamus nunc, quam imaginem breviter tetigerat sect. 10, quomodo luculentius eam hîc explicet ac lectorum veluti oculis admoveat. Ubi eos non moramur, qui Jacobo potius scribendum fuisse contendunt: *ἐὰν γὰρ ἀνατέλλει ὁ ἥλιος*, vel *ἐρχομένου γὰρ τοῦ καύσωνος σὺν τῷ ἡλίῳ*. Sic quidem locum interpretando aut corrumpendo potius, eum enervârunt POTT., VATER., STORR., alii. Cff. JACHM. et THEIL. Melius

sane WINER.: [1]) „*Eo ipso*," inquit, „*quod singula rerum* „*momenta per verba finita enuntiantur*, *magis graphice* „*subita earum pingitur consecutio*." Sed imprimis praeclarum placet DE-WETTII monitum, quo clarius comparationem veluti *intueamur*, eam tanquam rem aliquando factam *historico* describi tempore. Est igitur, ut hoc addamus, quasi, digitum intendens, arefactas nobis commonstret ac nunc deformes florum plantarumque reliquias Auctor. [2])

Voce *καύσων* usi LXX Hebr. קָדִים verterunt ventum *Orientalem*, pestiferum illum singulatim, quem *Samum* appellabant vel *Samiël*, qui exitiali halitu dicto ac visu citius pulcherrimas quasque plantas ac flores comburebat et laetissimos quosque campos tristia in deserta convertebat. V. prae caeteris GEBS. p. 40 et quos laudat peregrinatores.

Quod *sol cum καύσωνι herbas exsiccasse* dicitur, proprie quidem solus *hic* id fecerat. Sed quando plerumque flare incipiebat *ὁ καύσων*, simulatque ortus erat *sol*, illum hic secum afferre videbatur atque ita plantas perdendi caussa esse. Quod eo majore jure dici poterat, quoniam *solis* aestus ut vehementius sentiretur *venti* furor efficiebat.

Καὶ ἡ *εὐπρέπεια κ. τ. λ.* Non sine vi aliquâ repeti-

---

1) *Gramm.* ed. 5, p. 321. 553, ed. 6, p. 248. 417: utraque enim utiliter consuletur editio.

2) Cff. quae de *Aoristis gnomicis* dixerunt BUTTM. *Gramm. des neutest. Sprachgebr.* p. 174 sqq. et SCHIRLITZ, *Grundzüge der neutestam. Gräcität*, p. 280. 287. — Nemo sit velim, qui, hosce *Aoristos* pro *Praesenti* aut, quod pejus etiam, pro *Futuro* sumens, Scriptoris nostri vim faciat elegantiae.

tum hîc videmus pron. *αὐτοῦ*, *ipsius illius floris*, *ejusdem illius decorae faciei*.

Sicuti autem Poëseos elegantiam totus hic habet locus, ita singulatim *herbae*, quasi animata fuerit, *faciei* decus tribuitur.

Οὕτω (vel, ut scribit TISCHEND., *οὕτως* [1]) *καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται*. Lectionem *πορείαις*, optime testatam illam atque omnes internae probabilitatis numeros habentem, recte et olim tuitus erat TISCH. et nuper denuo expressit. Quo pro vocabulo quod cod. A paucique alii scripserunt *πορίαις*, per ambiguam factum est aut minus accuratam diphthongi *ει* pronuntiationem, quae quot pepererit librariorum errores, in vulgus notum est. Neque igitur erat quod manifesto falsam hanc lectionem vel sequendam commendaret ERASMUS, vel hujus, ut ferunt, auctoritate impulsus, vertendo exprimere conaretur LUTHERUS. Quibus assensisse miror WETSTENIUM. Conjecturas autem, quibus locum sine dubio sanum alii vexârunt, memoravit GEBS. Praeter quem consulendi etiam AUG., POTT., HOTT., THEIL. Quorum ex monitis vix aut ne vix quidem Graecam esse v. *πορία* apparet.

Jam vero *ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ* ipsissimum est, quod imitari videtur, Hebr. בַּהֲלִיכוֹתָיו, *suo in incessu*, i. e. *suis in consiliis ac conatibus*. Sententiam ita egregie BROCHMANDUS explicat apud WOLFIUM: „*non tantum ipse dives* „*ipsaeque ejus divitiae marcescent, sed etiam quicquid dives* „*ille aut animo designat aut facit*."

1) Sic semper ante consonantem sibi scribendum fuisse profitetur, ed. 7 *prolegg.* p. LIII. A quo non dissentire videntur WINER., p. 40, et BUTTM. p. 9.

Sic igitur ad verbum est sect. haec 11 vertenda: *simul ardente cum vento est sol exortus herbamque* (continuo) *exsiccavit atque illius flos decidit et faciei ejus decus* (decora ejus species) *interiit. Ita* (vitae) *in gressu suo marcidus reddetur dives.*

In similibus, quas conferendas esse recte DE-WETTIUS aliique dixerunt, V. et N. F. imaginibus, prae caeteris nobis locus notandus est, qui nostri hujus manifestam habet imitationem, 1 *Petr.* I. 24[b].

Caeterum non id sibi hanc velle comminationem, ut illis, de quibus agit, opulentis Judaeis iisque singulis et omnibus plane certam cladem praedicat atque exitium, ex allatae comparationis ratione effici posse videtur. Neque enim *semper* fiebat ut subito adeo *plantae* marcescerent. Verum Judaeorum metropoli Hierosolymae, aliquot annorum intervallo, fatalem instare diem, ipsius edoctus Christi vaticinatione, cognitum habebat Apostolus. Atque hoc everso Judaismi propugnaculo atque arce, alibi etiam degentium Judaeorum opes viresque et potentiam vehementer infractum iri, facile praevideri poterat. Quo magis Apostoli nobis laudanda est sapientia, ne divitiarum perennitate freti insolescerent, graviter eos adhortantis.

Tandem his etiam sectt. 9—11 ad supra memoratos respici videtur πειρασμούς. Etenim et *egenus* ἐπειράζετο et *dives*, ille ne animum demitteret, hic ne efferret. Uterque igitur ut evitaretur scopulus, et illum admonet et hunc Vir sapiens.

SECT. 12.

Hîc ad ea confirmanda atque urgenda redire Aucto-

rem, quae s. 3 et 4 dixerat, recte plures monuerunt interpp. Ibi enim τὴν ὑπομονήν laudaverat; hîc beatum eum praedicat, qui ὑπομένει. Sed intermedia etiam ac singulatim proxime superiora hocce cum loco apte connecti, ex iis collatis apparebit, quae, p. 59, de sect. 9—18 vinculo dixi et catenatione.

Μακάριος — ὑπομένει πειρασμόν. Pro praes. ὑπομένει codd. G. K. ac pauci, qui eorum vestigia sequuntur, minusculi habent fut. ὑπομενεῖ. Sed vulgatum *praesens*, quod accurate SCHULT. tuitus erat post eumque THEIL., recte servavit TISCH.

Minime autem nobis sunt audiendi HOTT. et SCHOTT., quibus jam praeiverat GROTIUS, qui ὑπομένειν idem hîc esse putant quod πάσχειν. Quos egregie refutavit GEBS., quocum THEIL. cf. et JACHM. Sane ad vagam eam illorum refellendam interpretationem animadversa sufficit, quam modo notavimus, ὑπομονήν inter, s. 3 et 4, ejusque nostro loco conjugatum ὑπομένειν necessitudo. Sine dubio igitur hoc est *constanter ferre*, *fortiter sustinere*.

Ὅτι δόκιμος — τῆς ζωῆς. Auctoris ex mente cum τῷ δοκιμίῳ τ. π., sect. 3 laudato, conjunctum esse constat, quod hîc legimus, δόκιμος. Quocirca nequaquam, cum FABRO, KREBSIO, LOESNERO, AUG., POTT., ad *athletarum* exercitationes hoc respicere existimo, sed potius cum GEBS. et JACHM. ad *metallorum probationem*. Hic igitur fructus est ὑπομονῆς, ut quis a Christo *probatus* inveniatur.

Τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, *praemium*, *quod vitâ aeternâ constabit*. Στέφανος enim figurate pro *mercede*; ζωή eadem illa, quae plenius alibi ζωὴ αἰώνιος audit. Sic recte GEBS.

Ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Κύριος κ. τ. λ. *Omissum* deprehen-

ditur subjectum ὁ Κύριος ab A. B. *Sinaitico* paucisque aliis a testibus, accuratius recensitis illis a REICH.; qui etiam plures memorat recentiores maxime Criticos, vocabulum ejiciendum existimantes; in quibus est, ut hunc unum nominem, TISCHEND.[1]). Verum *retinent* C. (omissso art.) G. K. fere omnibus cum codd. minusculis nec paucis cum verss. Quodsi aliae verss., in quibus antiquissima est Pesch., habent ὁ Θεός, paucissimis etiam assentientibus recentioribus codd.; hi ipsi receptam liberius potius vertisse videntur, quam improbâsse. Quam igitur apparet in plerorumque bonae notae testium auctoritate permultum habere praesidii. Quum praesertim negligentiae exemplis, a REICHIO allatis, codd., unde hic abest nominativus, A et B saepe iis omittendis peccare constet, quae sine dubio germana essent. Cujus culpae socium etiam esse *Sinaiticum* non paucis demonstratur, quas melioribus praefert, manifesto falsis lectionibus. Quid quod cod. A, ut ad eum redeamus, hoc ipso loco socordiae suae testimonium edidit, ineunte sect. pro ἀνήρ male scribens ἄνθρωπος.

Universe autem hoc tenendum est. Nusquam facile negligentius versati esse deprehenduntur librarii eorumque exemplo veteres interpretes, quam in nomm. Θεός et Κύριος; quae modo temere inculcârunt, modo perperam abstulerunt, modo non minore socordiâ secum invicem permutârunt. Atque hoc singulatim loco *utrum* praeferendum esset nomen eos dubitâsse, variantium ostendunt

---

1) Quem in nostratibus sequitur VISSERINGIUS. Ex cujus vero interpretatione quam obscura reddatur, ejecto ὁ Κύριος, sententia videmus. — *Ut diserte appelletur subjectum, nisi momenta critica, certe orationis vim requirere*, verissime monet THEIL.

tabellae. Quae ipsa dubitatio, ut nonnullis male scribendi ὁ Θεός caussa fuit, sic a sequendâ aut exprimendâ unice verâ lectione ὁ Κύριος alios retinuisse videtur. Brevi ut dicam, his maxime in nominibus, non id apud me paucorum valet testium quamvis vetustorum auctoritas, aliis praesertim adversantibus variarum classium permultis, ut tam tenuiter atque exiliter Auctorem scripsisse credam copiosissimum, quam scribentem eum faciunt qui delent ὁ Κύριος.

Caussam enim quod continet, *nominativum* illum sententiae vis desiderat orationisque quum concinnitas tum perspicuitas. Fac nimirum per se fieri posse ut *septimâ* ex sectione, magno hinc remotâ intervallo, suppleatur *subjectum* et hîc deletum et in proxime superioribus frustra quaesitum illud; quam misere sic suavissimae, quae dicto continetur, Christo fidentium consolationi veluti nervi inciduntur! Nam ita demum, quae sectionem concludunt, verba, *τοῖς ἀγαπῶσιν* Αὐτόν, *Jacobo*, id est elegantissimo scriptore, dignam consolationis clausulam continebunt, si *Dominum* esse, *qui vitae coronam promiserit* eundemque, qui *diligendus* sit, *Dominum*, non longinquo aliquo ex loco repetendum, ne dicam suspicandum, lectori relinquatur, sed diserte potius commonstretur. Caeterum de lectionis ὁ Κύριος veritate quo certius tibi constet, nostris his cum disputatis omnino REICHII comparanda est annotatio critica.

Ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν Αὐτόν. Quibus hîc *στέφανον τῆς ζωῆς* promisisse dicitur, eosdem, II. 5, non minus honorifice *κληρονόμους τῆς βασιλείας* appellat. Verum pluribus in aliis, quae hîc conferre recte jusserunt interpp., dictis sacris imprimis Paullinus mihi attendendus

videtur locus 2 *Timoth.* IV. 7. 8. Ubi, qui *Jacobo* sunt *οἱ ὑπομένοντες* ac *Dominum diligentes*, eo nomine praedicantur quod *fidem servârint Dominique dilexerint apparitionem.* Iis igitur *ibi justitiae coronam daturus* dicitur Dominus, *hîc* autem *vitae coronam promisisse.* Neque enim hoc utriusque loci tollit similitudinem, quod *τὸν Κύριον* Paullus *Christum*, Jacobus *Deum* eundemque *Patrem* cogitâsse videtur. Utriusque enim Apostoli ex mente per *Christum τὴν ζωὴν* dat et daturus est *Deus.*

Sed hîc tacite praeterire non licet ZELLERI apud HILGENFELDIUM [1]) disputationem; cujus si forte valeat argumentatio, non tam mature, quam nos quidem adhuc putavimus, Jacobi conscribi potuerit epistola. Ibi enim tam *stricte definitum* esse contenditur, quod hîc ab Auctore editum exstat, promissum, ut non potuerit non ex singulari aliquo, quod ei obversatum sit, hauriri S. C. effato. Eum igitur imitationis Jacobeae fontem reperisse sibi videtur ZELLERUS *Apocal.* II. 10; ubi et alia animadvertit convenientiae cum h. l. momenta, et hoc vel maximum quod solum hoc dictum sit, quo, plane sicuti hîc, piis *ὁ στέφανος τῆς ζωῆς* promittatur. Tum monentem audimus Virum cl., sua haec probabiliter duxisse Apocalypticum ex *Zachariae*, VI. 14, vaticinatione, quam Graece reposuerant LXX: *ὁ δὲ στέφανος ἔσται τοῖς ὑπομένουσι κ. τ. λ.* Quibus ex praemissis ita ZELLERI pergit disputatio, ut memorato *Apocalypseos* loco nativum eum vindicet vigorem eumque characterem historicum, ut a nemine quoquam exemplum sibi

---

1) In eo, cui *Moderator* praeëst ille, *Zeitschr. für wissenschaftl. Theol.* VI. 1, p. 93—96.

sumsisse, sed aliis potius ad imitandum id praebuisse censendus sit. Tandem igitur ex Apocalyptico quum profecerit *Jacobus*, hunc post illum scripsisse concludit. Quâ ipsâ in re apodicticum cerni argumentum asserit, quo et recentior declaretur nostrae hujus epistolae origo et vero magnum, quod *Apocalypsi* constet, pretium ac praestantia.

Nunc vero ZELLERIANAE, cujus puncta quam brevissime retulimus, disputationis modesta haec teneatur ac judicetur nostra epicrisis. Est sane quod viri sagacissimi, ad tuendas Tubingensium, quum catholicis de epistolis, tum de Apocalypseos libro opiniones undecunque praesidia conquirentis ac corripientis miremur acumen. Sed videat ne suâ concidat levitate, quae ne sibi quidem constat, argumentatio. Quodsi enim nativam eam propriamque habet, quam ei haud injuriâ tribuit, indolem locus *Joanneus* ac characterem; quid demum *Zachariae* ex fonte hunc certe suum irrigare hortulum opus fuit Auctori? Sed hoc eum fecisse ponamus. Iterum igitur quaero: num *Jacobo*, qui in Vet. Foed. habitaret, ut illius cognosceret vaticinia, ad derivatum, quem laudavit ZELLERUS, fontem erat recurrendum? Quid quod vitae coronam, in quâ quaestionis cardinem ponit Criticus, *Zachariae* nec Hebraicus textus nec Graecus commemorat. Quocirca hinc certe enuntiati *formam*, cujus *argumentum* in permultis ipsius Christi dictis fundatum erat, repetere non potuit Apostolus. Neque igitur serioris, quo nata sit epistola, temporis, ullum hîc indicium exstat aut vestigium.

SECT. 13—15.

De hujus ac proxime sequentis loci cum superioribus conjunctione generaliore diximus, ad s. 9—18, p. 59 annotatione. — Τοῖς πειρασμοῖς, de quibus denuo hîc agitur, universe omnia continentur, *quae ad peccandum hominem sollicitant, impellunt, seducunt.* Quo igitur et mala persecutionesque referendae erant, sanctioris religionis caussâ exanclatae, de quibus praecedentia egerant, et alia omnia nunc attingenda, quae lectorum virtuti ac constantiae impedimenta ponerent ac pericula intentarent. Forsitan tot sibi cum tentationibus, tot cum vitii illecebris conflictandum esse conquerebantur, ut eorum vehementiae non succumbere non possent. Neque improbabile est eos, quo speciosius sese excusarent, ipsum *Deum*, quâcunque tandem id factum sit ratione, tentationum suarum auctorem fecisse. In quam sentiendi impietatem quam proclive sit mortalium genus nec quisquam ignorat et veterum dicta docent, a POTTIO et GEBS. ad h. l. allata. Prudentissima est igitur ac praeclara Apostoli admonitio, tam sanctum esse Deum, ut neminem malo consilio in peccandi periculum committere possit, uniuscujusque vero malas esse cupiditates, quae ipsum seducant ac miserrimum reddant.

SECT. 13.

Μηδεὶς πειραζόμενος — πειράζομαι. Pro vulg. *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*, deleto articulo, legendum esse *ἀπὸ Θεοῦ* optimorum quorumque testium consensu constat. Ἀπό autem non pro *ὑπό* dici idque potius indicare, quod fiat *a parte*

Dei, accurate monuit WINER. [1]), post eum monuerunt alii, in quibus DE-WETT. et HUTH.

Impias has mortalium adversus Deum querelas, ex perversis ipsorum sua peccata excusandi studiis manantes, male ex crassioribus V. F. enuntiatis repetit JACHM. Melius sane GROT. „*Non ideo*," inquit, „*nobis adversa* „*immittit Deus, ut nos pejores faciat, sed ut meliores.*" Ac scitum est, quod affert, TERTULLIANI *de oratione* dictum: „*Diabolus tentat, Deus probat.*"

Quam graphice autem ipse, qui cum Deo expostulare non vereretur, homo loquens informetur, nemo non animadvertet, nisi qui, sicuti JACHM., particulae ὅτι, orationem *directam* indicantis, neglexerit potestatem.

Ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστος κ. τ. λ. Quod ultimum describebam adjectivum, id Aeth., Vulg. (quae barbare habet *intemptator* pro *non tentator*) item LUTH. *active* capiunt. Quo vero putida exsistit atque elegantissimo Auctore indigna tautologia; nam plane idem dicit, quod continuo sequitur: πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα, a praecedentis enuntiati sententiâ disjunctum illud per adversat. δέ. Nec est quo se commendet SCHULTESZII interpretatio: *Nullam malorum habet experientiam D.*; neque ipsa cum parallelismo optime concinens illa. Quocirca praestat omnino, WINERO auctore, [2]) quem et alii et nos secuti sumus, v. ἀπείραστος explicare, *qui a vitiis non sollicitatur.* Paullo rariore enim usu κακά neutr. plur. hîc *vitia*, *peccata* notant.

---

1) Et antea et ed. 6 p. 332 in annot.

2) Et superioribus edd. et ed. 6 p. 88 et 175. Hoc unum minus accuratum, quod h. l. perinde esse dicit utrum explices *unversucht*, an *unversuchbar*.

In proximis, exeunte sect., minime abundat pron. *αὐτός*. Alia potius omnia, quam *Ipse*, ad peccandum nos impellunt. — Certissimum hoc ac nativâ veritatis luce conspicuum divinae sanctitatis consectarium, quod, sicuti nulla unquam Eum allicit mala cupido, non magis mortalibus peccati impulsor est, nedum auctor.

SECT. 14.

Ἕκαστος δὲ — δελεαζόμενος. Pulcherrima haec prosopopoeïa *τὴν Ἐπιθυμίαν*, *Cupiditatem*, ut personam aliquam viventem informat ac blandam, singulatim ut *meretricem*. Cujus imaginis vim ac potestatem lucide verba depingunt, nefastas illius actiones describentia, *ἐξέλκειν* et *δελεάζειν*, quae, pluribus recte monentibus interpp., de meretricum imprimis artibus fraudibusque usurpantur: *illud* enim a rectâ viâ *abducere*, *seducere* notat; *hoc*, a subst. *δέλεαρ*, *escâ*, *illecebrâ* ductum, est *inescare*, *irretire*. Neque igitur est quod cum nonnullis imagini hysterologiam objicias aut minus concinnam utriusque verbi collocationem. Cum scorto enim *Cupiditas* comparatur, adolescentem primum *seducente*, tum suis *capiente laqueis*. Nec abundat, quod *τὴν Ἐπιθυμίαν* comitatur, adject. *ἰδία*, quo disertius a Deo nostrorum culpa removetur peccatorum.

Apostoli monitis gemina ipsius Christi est doctrina, *Marc.* VII. 21—25, *Ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας κ. τ. λ.* Nec repugnat quod infra, IV. 7, jubetur: *Ἀντίστητε τῷ Διαβόλῳ. Cupiditatibus* enim ubi renitimur, eâdem operâ *Satanae*, cupiditates illas accendenti atque inflammanti, resistimus.

Sect. 15.

Εἶτα ἡ Ἐπιθυμία — Θάνατον. Gravi progressione ac gradatione ita continuatur prosopopoeïa, ut nunc non *Cupiditas* sola, sed *Peccatum* etiam et *Mors* quasi vitâ donentur atque agentes informentur. Sic igitur *allegoria* exsistit, suis numeris partibusque absoluta, in quâ nulla vox est, quae cum inchoatâ minus bene congruat figuratâ oratione. Quo magis mirum mihi MORI videtur judicium, hunc tropum vel allegoriam potius *durissimam* dicentis. Cujus judicii iniquitatem recte HOTT. redarguit et GEBSERUS.

Age, de singulis jam singulatim quam brevissime videamus. Εἶτα non *postea*, sed *tum*, quum homo est δελεαζόμενος (SCHNECK.) *Cupiditas*, *gravida facta* (συλλαβοῦσα) a misero, quem pellexit atque irretivit, amatore, prolem nunc *gignit*, i. e., ut tenuiter dicam quod poëtice fere Auctor, eam, quâ peccatur, actionem, *Peccatum*.

Ἡ Ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα quid est? Possumus, ut vulgo fit, interpretari: *peccatum*, *quum peractum*, *consummatum est*. At, verissime monente HOTT., ita captum institutam turbat allegoriam. Quocirca elegantissimam praeferre non dubito, quae in usu loquendi satis superque praesidii habet, explicationem: *peccatum*, *quum ad adultam pervenit aetatem*. Peccatum *adolevisse* dicitur, *quando sui quasi juris factum*, *dominium in hominem sibi vindicavit*. Sic fere THEILIUS, qui hanc non minus elegantem, quam aptam, vocat imaginem. Unice veram hanc rationem amplexi etiam sunt POTT., SCHULT., GEBS.,

brückn., alii fortasse. Nec quemquam igitur dubium reddat velim hutheri, schneckenburgerum quodammodo imitati, objectio, singula ita tropo adaptantes, nos *Jacobeum* non attendere dicendi genus. In quâvis enim manifestâ ac bene connexâ *allegoriá* ea singularum vocum interpretatio, quae nec ullam loquendi consuetudini vim facit et cum universo congruit imaginis veluti colore, ei praeferenda est interpretationi, quae auctorem temere propria cum tropicis commiscentem facit. Quae profecto lex hermeneutica eo certior est atque eo minoribus obnoxia exceptionibus, quo quisque scriptor *Jacobo* similior, nusquam non eleganti, sed in verborum delectu ac concinnâ consecutione plane admirabili.

Eo ut redeamus, *Peccatum*, quando adultae aetatis auctum est viribus, suâ tandem vice nefastum *procreat* foetum *Θάνατον*, *Mortem*. Quae *Mors* nullam non continet ac complectitur et hujus et futurae vitae *miseriam* ac *perniciem*. Haec enim *mors* ad *vitae coronam* respicit eique opponitur, quam sect. 12 laudârat. En tibi, ad verbum fere repositam, praeclaram bedae apud gebs. animadversionem: „*sicut ille, qui tentatus superat, prae-* „*mia* vitae *meretur*" (potius dixerim *accipit*); „*ita qui,* „*cupiditatibus suis illectus, a tentatione superatur, merito* „*ruinam mortis incurrit.*" — Haec ille. Sed nec *Paulli* Ap. negligenda est comparatio, qui, ubi, *Rom.* VI. 2 et alibi, ut personam informârat *τὴν* '*Αμαρτίαν*, sect. 23 ejus *ὀψώνια* vocat *θάνατον*, cujus non minus latam ibi esse, quam nostro loco, potestatem diserte disjuncta docet *ζωὴ αἰώνιος*.

Ut tandem concludam, ex verbis quoque ac scriptâ ex oratione quaedam exsistere potest *pictura;* hic certe

pictoris artem refert locus. Cujus, formosâ exuti veste, gravissima haec est ac verissima sententia: blandienti si aurem praebueris Cupiditati, ita ejus manceps redderis, ut et ad peccandum te impellat ac protrudat, et tandem in dirissimum quemque miseriarum gurgitem immergat.

SECT. 16.

Μὴ πλανᾶσθε. *Paullo* Ap. quantopere in deliciis haecce esset locutio, ex non paucis illius dictis apparet, hîc ab interpp. allatis. — Adhortationum autem gravitas ac severitas amabili lenitate per lectorum compellationem temperatur, tenerrimum eorum amorem spirantem: ἀδελφοί μου ἀγαπητοί.

Ita autem, 16tâ hâcce sect. a superioribus ad instantia progreditur, ut et eorum, quae dixerat, gravitatem urgeret, et ad ea docenda sibi viam pararet, quae impias, quas reprehenderat, plane confutarent opiniones. Quam apta intercedat sect. inter 13 et eam, ad quam enarrandam nunc pergimus, sect. 17 disjunctionis necessitudo, ex his elucet, quae reponere juvat, HOTTINGERI verbis: „*Tantum abest*," inquit, „*ut Deus peccandi cui-„quam auctor aut caussa fiat, ut contra nihil possit ab „Eo proficisci in homines, nisi quod bonum ipsis ac „salutare sit.*" Cujus animadversioni hoc etiam addatur. In Deum si nulla cadit nec convenit, ut hîc docetur, sensuum commutatio, non potest Idem non benigno nos πειράζειν consilio et summis quibusque nos afficere beneficiis.

SECT. 17.

Πᾶσα — τέλειον. *Hexametrum* haec verba continent, vel plenum vel, si posterior vocis δόσις syllaba hîc *longa* haberi nequit, dimidiato aliquo pede claudicantem [1]). Qui versus, quod aliis etiam solutae orationis scriptoribus accidit, forte fortunâ Jacobo excidisse videtur. Quamvis enim poëticum ejus dicta habeant colorem, non tamen, secundum SCHULTESZIUM, id eum sibi voluisse putaverim, ut Graeci alicujus Poëtae locum, quem singulatim spectaverit, afferret. Nimis audacter certe idem SCHULT., nonnullis trajectis vocibus vel immutatis, proxime sequentia etiam hujus sectionis incisa in versuum numerum cogere studet. Neque enim ulla suppetit ratio ut, omnibus repugnantibus testibus, locum, qui suâ satis lucet pulcritudine, nostro pro sensu vel emendemus vel potius corrumpamus.

Porro notanda hîc nobis parallelismi est concinnitas, quâ non singula solum membra breviora, sed singulae fere eorum voces harmonice sibi invicem respondent. Veluti continuo hîc parallela sunt δόσις ἀγαθή et δώρημα τέλειον. Ac POTT. quidem et GEBS. et HUTH. aliique synonyma esse contendunt vocc. δόσις et δώρημα, inter quae nullum significationis discrimen cogitari posse justo confidentius pronuntiat DE-WETTIUS. Sed accuratior haec nobis praeplacet interpretatio, ut, priore voce de *do-*

1) Vid. WIN., ed. 6 p. 564, qui memoratam syll. σις hîc produci posse statuit, quo plenus exsistat hexameter. Dubito num recte. Memini certe magno illi WYTTENBACHIO, quum, Graecum aliquem Poëtam conjecturâ emendare conatus, eandem illam syllabam ante vocalem *longam* fecisset, ab acerbiore Censore Prosodiae ignorantiam objici.

nandi actu, alterâ de ipso *dono* acceptâ, *πᾶσα δόσις ἀγαθή* vertatur: *omnis, quâ benevolâ mente aliquid datur, largitio*; tum *πᾶν δώρημα τέλειον omne* sit *donum, cujus nihil deëst integritati, quod cunctis suis absolutum est partibus.*

Ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον. Plerique recentiores, in quibus POTT., GEBS., WIES., HUTH., ita *ἐστί* inter et *καταβαῖνον* tollendam putant distinctionis notam, ut *ἐστὶ καταβαῖνον* non multum certe differat a tertiâ pers. praes. Ind. *καταβαίνει* [1]). Verum, quando plane ad parallelismi leges hanc conformatam videmus sectionem, omnino vulgaris praeferenda videtur ratio, quâ ab *ἐστί* sejungitur *καταβαῖνον*; ut hîc quoque bina cernantur incisa, quorum prius, minus definitum illud, altero illustretur et explicetur magis definito:

— *ἄνωθέν ἐστι,*
καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρός κ. τ. λ.

Ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων [2]). Diversas admodum hujus dicti interpretationes historicâ in tabellâ proposuit GEBS. Quarum vero binas solum praecipuas, age, memoremus. Plures igitur fuerunt magni nominis Viri, quibus *ὁ πατὴρ τῶν φώτων omnium bonorum*, seu *omnis felicitatis et perfectionis pater et auctor* esse videretur. Ita WOLF., MICHAËL., MOSCHIUS, SCHLEUSN. Cui vero rationi nec usus loquendi favet nec contexta oratio. Etsi enim *φῶς*, Hebr. אוֹר, saepe *singulari* numero figurate pro *felicitate* usurpetur, nulla tamen certae fidei allata vidi exempla, quibus *plurali φῶτα*, eandem esse potesta-

1) Sic quoque AL. BUTTMANN, *Gramm. des neut. Sprachgebr.*, p. 266.

2) Sic enim scribendam esse vocem, non *φωτῶν*, docet WIN. ed. 6, p. 51.

tem constaret. Nec facile ineptae tautologiae vitio quisquam elegantissimum absolvet Auctorem, si, quod haec dicentem eum facit interpretatio, dixisse censeatur: *Bona omnia ac perfecta dona ab eo proficiscuntur, qui omnium bonorum fons est et auctor.* Tandem quae proxime sequuntur atque huc omnino respicere videntur, ea melius omnino cum alterâ conveniunt, quam nunc plerisque sese probâsse Viris doctis vere monet WIES., nostrae hujus locutionis explicatione. Hanc igitur si amplectimur, *luminum coelestium*, *solis*, *lunae*, *astrorum*, *pater* sive *auctor* appellatur Deus. Atque haec sane vocis *φῶτα* explicatio certum habet praesidium in loco, a multis cum nostro hoc Jacobeo collato, *Jerem.* IV. 23, quem Graece verterunt LXX: *ἐπέβλεψα ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἰδοὺ οὐθὲν, καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ οὐκ ἦν τὰ φῶτα αὐτοῦ.* Ita et alii et BEDA, ZWINGL., CALV., SEML., TELLER., STORR., ROSENM., AUG., HOTTING., POTT., GEBS., DE-WETT., SCHNECKENBURG., HUTH., WIES., item in Lexx. WAHL. et BRETSCHN. Quo plenius autem sententiae, argutâ brevitate enuntiatae, vis et ambitus intelligatur, HERINGAE E. F. haec perpendatur, editis in *Quaestt.*, animadversio: „*Dicitur Deus*, inquit, „*ὁ πατὴρ τῶν φώτων*, coelestium luminum conditor, *ac proinde rerum omnium procreator*, *nihil nisi* lucem, *h. e. remoto tropo,* scientiam *ac* sapientiam, *omnibus eam implorantibus largiens.* Cf. *sect.* 5. 18 *et* 2 *Cor.* IV. 6."

Παρ' ᾧ οὐκ ἔνι κ. τ. λ. Vocula *ἔνι*, quam plerique pro *ἔνεστι* usurpatam putant, hîc certe idem fere valere videtur quod *ἐστί* [1]). In Deo igitur ulla esse negatur

1) Diversas Grammaticorum sententias recensuerunt ac judicârunt WIN. ed. 6, p. 74; A. BUTTM., *Gramm. des neut. Sprachgebr.*, p. 64; SCHIRLITZ., *neutest. Gräcität*, p. 171.

παραλλαγή, *mutatio*, *vicissitudo.* Hanc enim generalem vocis notionem esse interpp. consentiunt et lexicographi. Sed, quando Astronomorum imprimis antiquorum ac Geographorum usu trita fuit, de astronomicâ ejus significatione caeteris accuratius disputavit GEBS. Cujus haec summa est disputationis. Non eam notat *παραλλαγή*, quam hodie vocamus, solis *parallaxin*, cui significandae ne nomen quidem habebant veteres. Sed h. l. de *mutatione* dici videtur vel *lucis* vel *loci*, in *astris* obtinente, quae modo lucent, modo suam nobis subtrahunt lucem, quae modo in hoc, modo in alio quopiam coeli tractu sese nobis conspicienda praebent.

Nec magis Deo tribui potest *τροπῆς ἀποσκίασμα* [1]). Posterius hoc voc. *umbra* est vel *obumbratio; τροπή solis*, *ab oriente ad occidentem progressi*, *conversio.* *Ἀποσκίασμα τροπῆς* igitur *umbra* est vel *umbrae obscuritas*, *ex solis*, quâ nobis moveri videtur, *conversione exsistens.* V. denuo GEBS. Caeterum ad oculorum nostrorum intuitionem, non ad hodiernae Astronomiae severitatem comparatam esse atque exigendam hanc coeli picturam non satis attendit DE-WETTIUS. Cujus igitur non est quod nos moveat objectio.

Soli atque *astris* quum comparetur Deus, cogitatione supplendum puto: *καὶ φῶς ἐστιν αὐτός.* Quod etsi non diserte enuntiavit, omnino tamen menti suae praesens habuisse videtur Auctor. Quo demum sumto videmus,

---

1) Locum non intelligens, *Sinaitici* cod. scriba, solo comite B, huic nominativo genitivum substituit *ἀποσκιάσματος*. Cujus tamen manifestum errorem alter ejus *Corrector* emendavit, quem C appellat TISCH. Quo de Correctore hujus vidd. *Prolegg. N. T. Sinaitici*, *ed. min. Lips.* (1863) p. XXIV.

quomodo τὸν πατέρα τῶν φώτων *Deum* nuncupans, ad proximum dictum enuntiandum sibi viam straverit. Vel lucidissima sidera ita nonnunquam παραλλάσσονται, eas subeunt vicissitudines, ut nullam nunc nobis lucem impertiant. Ipse adeo sol, quo propius ad occasum τρέπεται, eo tenuioribus terram collustrat radiis. Sed Tu, Deus O. M! ita nunquam intermissâ nobis luces benignitate, ut nullâ non horâ Tua nobis largiaris beneficia.

SECT. 18.

Longe gravissimum tandem Divinae, quae nos complectitur, benevolentiae documentum sectio praedicat 18. Quâ ipsi loco, sect. 13 inchoato, praeclara clausula subjicitur et, si ita loqui liceat, splendida coronis imponitur.

Βουληθείς est, multos si audis recentiores, in quibus post BENG., KERN. et SCHNECKENB., *pro benignâ suâ voluntate.* Et sane perquam *benefica* Dei ea erat voluntas. Sed *benignitatis* haec notio rei ipsi potius inest ac contextae orationi quam participio βουληθείς; quod optime vertisse videtur GEBS. *suâ pro voluntate;* coll. *Ephes.* I. 11: κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Soli Dei placito nec nostro cuiquam merito ea nos debere, quae memorantur, bona uterque indicat Apostolus.

Ἀπεκύησεν ἡμᾶς, *nos genuit,* ab eodem, cujus sect. 15 nobis praesens Indic. adfuit, v. ἀποκύω [1]). Quo hîc respicere Auctorem scite monet DE-WETT. Ut mortis *Peccatum,* sic vitae nobis caussa est *Deus.* Cujusmodi

1) Nec alibi in N. F. nec apud LXX hoc exstat verbum. Invenitur tamen 4 *Maccabb.* XV. 17.

superiorum respectum Jacobo in deliciis esse, multa ejus ostendunt enuntiata. Verum verbi ἀπεκύησε usus proxime certe pendet a praemisso, sect. 17 πατήρ. Unde quam egregia haec exsistit sententia: qui luminum coelestium, idem noster quoque per Christum Pater est!

Λόγῳ ἀληθείας *nos genuit D.* Christi per *doctrinam*, quae, *Joann.* VIII. 32 et alibi, eximie vocatur ἡ ἀλήθεια, divinitus nos regenerari atque in novos quasi homines mutari constans est N. F. institutio. Quam non satis attendentes, SCHLEUSN. et POTTIUS v. ἀποκύειν, quo solus hâc de re utitur *Jacobus*, interpretantur *emendare*. Enimvero consulantur potius quae contulit GEBS., in quibus loci sunt 1 *Petr.* I. 3 atque ibidem impr. sect. 23, ubi ἀναγεγεννημένοι vocamur διὰ λόγου Θεοῦ. Fons dictorum apostolicorum est Christi effatum, *Joann.* III. 3: ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν κ. τ. λ.

Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα. Ultimam hanc vocem emolliendae comparationi inservire recte jam viderat ERASMUS post eumque monuerunt GEBS. et WIN. [1]). — Ἀπαρχή, Hebr. רֵאשִׁית, *primitiae* frugum, quae Jehovae consecrari solebant. Cf. 1 *Cor.* XVI. 15. *Ibidem*, XV. 23, ad ipsum vox accommodata erat Christum. — Τὰ κτίσματα h. l., ubi Christianos ἀποκεκυηκέναι dicitur Deus, ii videntur esse, ***quos novâ, intercedente Conservatore, vitâ donavit Pater.*** Intelliguntur igitur, praeëunte GROTIO, τὰ κτίσματα νέα, καινά. Haec interpretatio, quae non omnibus quidem [2]), sed plurimis placuit Exegetis, magnum habet in parallelis *Paulli* locis praesidium. Ex qui-

1) Ed. 6 § 25. 2, p. 153.

2) In alia omnia discedere HOTTING. certe video et DE-WETT.

bus unum certe hunc nostri simillimum comparemus, *Eph.* II. 10, Αὐτοῦ (Θεοῦ) γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες ἐν X. I. ἐ. ἔργ. ἀγ.

Horum igitur Θεοῦ κτισμάτων ἀπαρχή τις ii erant epistolae lectores, qui ante plerosque fidei socios novam illam in Christo vitam acceperant illorumque quasi ordinem ducebant. Messis, quam Christo collectum iri confidebat Auctor, veluti Deo consecratae erant *primitiae*. Eo majorem haec nobis dicta vim ac veritatem habebunt, quo certius eo jam tempore datas esse has litteras nobis constiterit, quo nondum multi ἐν τῇ διασπορᾷ Judaei Domino nomen dederant. Paucis igitur illis quantum hîc honoris tribuebatur, tantum sanctissimorum imponebatur officiorum.

Caeterum eo majore jure nova Christianis *vita donata* dicitur, quo magis tunc emortuus et *Ethnicismus* erat et *Judaïsmus*. Quod SCHAFF. p. 187 aliique demonstrârunt. Vehementer quidem vires intendebat uterque; sed eâ id luctâ, quae mortis est praenuntia.

SECT. 19—21.

Ὥστε, ἀδ. μου ἀγ. κ. τ. λ. *Diem a die doceri*, quod verissimo teritur proverbio, quo quisque rerum, quas sibi agendas suscipit, peritior est, eo plenius intelligit eoque luculentius sese intelligere suis ipse demonstrat inceptis. Quae sane sapientiae laus ac praestantia, hoc certe loco, TISCHENDORFIO tribuenda est. Hic enim, quum in ternis, quas memoravi, prioribus editionibus adverbio, quod sectionem 19 aperiebat, ὥστε verbum substituisset s. *Indic.* s. *Imper.* ἴστε, ac mox ἔστω inter

ac πᾶς particulam δέ inseruisset, nunc ad vulgatam exprimendam lectionem plane pedem retulit. Quod ab ἴστε olim locum inchoaverat ac particulam inculcârat, praeëuntibus fecerat SEMLERO, MORO, LACHMANNO aliisque, nec plane improbante GRIESB. [1]). Fecerat, auctoritate maxime adductus codd. B et C [2]), quibus aliquot assentiunt Italae mss. et, qualis eam edidit ipse, *Hieronymi* interpretatio. Ne Copticam nominem aliosque oppido paucos testes. Ac poterat id, ne quid diffitear, a difficiliore commendatum videri, quam efficit, loci structurâ. Nunc vero, 7mâ editione, restitutae a sese receptae lectionis strictim atque acute rationem idem reddit Criticus Lips. Cujus autem disputatis haec addere juvat. Quam alienum est, recte illo monente, emendatoris ab ingenio vulg. ὥστε, tam longe Auctoris a dicendi genere h. l. positum abhorreat v. ἴστε. Neque enim unquam, in placidâ certe, qualis haec est, oratione didascalicâ, ita abrupte atque hiulce scribere consuevit Jac., ut h. l. eum scripsisse inepti nonnulli opinati sunt librarii aut correctores. Quod vero argumentum, quamvis mihi grave visum, si forte minus apud eos valeat, qui non ita crebro legendâ ac recitandâ [3]) disertissimâ hâc epistolâ tritas habent aures; testium certe longe plerorum-

1) Et testes et Criticos, vel in hanc vel in illam secedentes aciem, postea plenius recensitos vidi a REICHIO. Cujus dicta non est quod repetam.

2) A lectionem habet ex parte certe manifesto falsam ἴστε δέ. — *Sinait.* pro ὥστε, ineunte sect., scribit ἴστω, sed ejus Corrector C habet ἴστε. Post ἴστω particulam δέ inserit.

3) Neque enim tacito solum tecum eam legendo plenam ejus elegantiam ac vim animo imbibes ac δεινότητα.

que, immo, monente T., paucis exceptis, fere omnium, quae receptam tuentur, vocibus ac suffragiis morem gerant auctor sum.

Quodsi forte caussae requirantur, quibus factum sit ut in eum, quem arguimus, errorem codd. B et C scribae eorumque socii inducerentur, non desunt probabiles, quibus falsae lectionis origo declaretur, conjecturae. Nisi enim forte *aurium* per vitium acciderit ut dictantis vocem, non satis distincte adverbium ὥστε pronuntiantem, male acciperent scribae; *judicii* probabiliter error fuit, quo, loci cum praecedentibus nexum non perspicientes [1]), sic mutandum eum opinarentur, ut suo illo ἴστε *imperative* sumto, severior redderetur ac magis dictatoria cohortatio. Certe loci, in quo versamur, cum superiore catenationem parum intellexisse veterem Ecclesiam inde luculenter apparet, quod plane secluso atque in insulam veluti solitariam rejecto adverbio ὥστε vel, quod ei substitutum erat, vocabulo, a proximis hujus sectionis 19 verbis: ἀδελφοί μου ἀγαπητοί κ. τ. λ. novum sibi inchoandum existimavit *anagnosma* publicum.

Sed haec antiquorum de erroribus dicta sufficiant. Magis autem est quod miremur recentiores etiam non paucos fuisse interpp. eosque homines doctissimos, quos loci nexus incertos teneret ac suspensos. Ita enim, si quid video, satis clare cohaerent ac secum invicem nectenda sunt gravissima haec Auctoris monita: Quandoquidem per Christum ejusque per euangelium in altissimum dignitatis ac felicitatis gradum illius cultores

---

1) Hanc nexus ignorationem loci corrumpendi ansam dedisse et alii monuerunt et HOTTING.

evexerat Pater, omnia diligenter eos fugere oportebat ac cavere, quibus tanto hocce honore indignos sese redderent tantaeque se felicitatis fructibus temere defraudarent. *Quocirca* singulatim (*ὥστε κ. τ. λ.* sect. 19 et deinceps) sacris in conventibus ita iis versandum erat, ut magis proclives promtosque se demonstrarent ad alios, res divinas explicantes, repressâ, si quid displiceret, iracundiâ, patienter audiendos, quam ad praecipitis loquacitatis atque arrogantiae exemplum fidei sociis aliisque, qui forte adessent, praeëundum. — De hoc, quem meo ex sensu declarare conatus sum, loci nexu cff. STORR., ROSENM., POTT. — Sectionis autem in fronte reposito, quod injuriâ mutatum erat, adverbio *ὥστε*, nec *δέ*, quod post *ἔστω* inculcant B et C, nec copulam *καί*, quam ante idem verbum habet A, locum tueri posse res loquitur.

Quae h. de l. adhuc monui, ea ante consultum recens editum perscripseram REICHII *in epp. cathol. comm. crit.* Eum autem ita mihi assentire postea comperi, ut a me aliisque, pro tuendo recepto hujus sect. textu, collata suis iisque luculentis confirmaret argumentis. Quibus igitur accurate comparatis prudenter cavendum esse videbunt lectores ne in *superstitionem* abeat, quae codicum A. B. C debetur aetati, justa veneratio.

Ἔστω — *βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι.* Quamvis digna sint quae universam vitae regendae legem continere censeantur gravissima haec praecepta; non dubitandum tamen quin hîc et in proxime seqq. eorum singulatim, quae sacris in consessibus sequenda essent vel fugienda, rationem habeat Auctor. Quum enim, et sect. 18 et denuo sect. 21, *divinae doctrinae* mentionem faciat, hocce item

intermedio loco de iis agi satis constat, quae eâdem cum doctrinâ ejusque cum annuntiatione conjunctionem haberent. Ex *Paullinis* etiam apparet, in priscis Christianorum coetibus non paucos vitio creatos fuisse tantaeque rei fructuose agendae impares doctores. Quorum impetus ac stoliditas ne magna sanctissimae caussae damna inferret eo magis metuendum erat, quo arctius adhuc cum *Synagogâ* (*Jac.* II. 1) conjuncti manebant Domino fidentes. Quocirca prudenter illos *magis proclives esse* jubet *ad* peritiores *audiendos*, doctrinam sacram explicantes, *quam ad loquendum*, quam ad illud interpretandum, cujus vim nondum perceptam haberent, euangelium. Simillimus locus apud *Jes. Siracidam* V. 11: γινοῦ ταχὺς ἐν ἀκροάσει κ. τ. λ. Quo utrum respexerit *Jacobus*, ancipiti lite, disceptant interpp. Omnino autem ipsius est comparandum monitum, infra III. 1.

Βραδὺς εἰς ὀργήν. Dictum, cujus arcta cum proxime praemisso inciso conjunctio ex repetito eodem apparet adject. βραδύς, ab iracundiâ lectores deterret, in quam facile eos incitare posset atque ad inconsideratam inflammare socii refutationem audita forte, quae auditori displiceret aut eum pungeret, illius oratio. Quam moniti interpretationem *disjuncti* confirmat collatio, sect. 21: ἐν πραΰτητι δέξασθε τὸν — λόγον. Fervidis *Judaeorum* ingeniis, subitâ non raro aestuantibus iracundiâ, cohibendis ac corrigendis valde accommodata ejusmodi erant monita. Cf. infra III. 14 et 16, *Matth.* V. 22, *Eph.* IV. 26. 31 caet.

Ὀργὴ — οὐ κατεργάζεται. Exeunte hâc sect. 20, pro ultimis binis vocibus A. B. C***, item *Sinait.* ac secundi ordinis codd. aliquot, in simplex converso verbo compo-

sito, scribere maluerunt *οὐκ ἐργάζεται*. Quam lectionem post LACHM., in primâ Lips. ed. amplexus erat TISCHEND. Verum hic, quod proxime superioribus jam fecerat editionibus, nunc denuo antiquam in sedem recte restituit vulgatam. Hanc enim scribendi per compendium (K̄ĒP̄ pro KATEP) corruptam esse ac decurtatam existimo. Nec nego tamen fieri potuisse, quae non improbabilis Critici Lipsiensis est conjectura, ut locis quodammodo parallelis *Actt.* X. 35 et *Hebr.* XI. 33 nostram hanc conformare voluerint dictionem. Utroque enim eundem, quem hîc scriptum videmus, accus. *δικαιοσύνην* simplex sibi adjunctum habet v. *ἐργάζεσθαι*.

Loci autem vim DE-WETTII diluit explicatio: *Non facit quae Deo placent homo iratus.* Argutam enim aliquam disjunctionem *ὀργὴ ἀνδρός* habet ac *δικαιοσ. Θεοῦ*. Haec ea est *pietas*, *quae Deo probatur*. Cujus igitur *effectrix non est ira humana*. Ubi dicti notetur elegantissimi *litotes*. Haec enim *Ὀργή*, quae *personae* hîc vices sustinet, quominus hominis in animo Deo accepta illa se exserat *Δικαιοσύνη* impedit atque obstat. Hanc attingere poterant divinam per doctrinam, eâdem excidere suam per iram. Nisi igitur sibi caverent, quam turpe dictu! verendum erat ne, quod *afferebat* *Λόγος τοῦ Θεοῦ* pusilla ista auferret homuncionis *Iracundia*.

In contrariis profecto, quae vixdum fundatam Christi ecclesiam agitabant, ejus cultorum studiis sectisque, tam nefasta ex irarum furoribus damna existebant ac mala, ut plane admiranda nobis sit Apostolorum ipsiusque adeo Domini, iterum iterumque *τὴν πραΰτητα* commendantium, cura ac sapientia.

Διὸ ἀποθέμενοι — κακίας. Horum de nexu cum su-

perioribus satis jam dictum. — Ῥυπαρία, 1 *Petr.* III. 21 ῥύπος, adject. ῥυπαρός *Jac.* II. 2, *corporis* de *sordibus* usurpatur. H. l. *subst.* illud tropice quamcunque, quae *animi inquinamentum* est, *perversitatem* indicare, constat inter omnes. Sed quaeritur utrum per se capiendum sit, an potius constructione proxime jungendum genitivo κακίας. Posteriorem hanc sententiam multis placuisse ac placere video interpp. Sed, aliis praeëuntibus, per se hoc in contextu vocab. satis definitam habere puto sententiam. Nec, nisi meus me fallit sensus exegeticus, is erat Scriptor disertissimus, cujus cum stilo inficetum hoc conveniret enuntiatum: *sordes deponite perversitatis et hujus reliquias.* Plane enim mihi persuasum est περισσείαν κακίας *perversitatem* esse, lectorum in animis, ex tempore, quo nondum Christo conciliati erant, *remanentem* ac *residuam.* Cui interpretationi nequaquam usum loquendi obstare clare ii docent, quos THEIL. attulit, veterum loci. Ita KÜTTNERUS, MICH., AUG., GEBS., qui docte hanc confirmavit rationem, aliique. Neque ullam equidem, quamvis diu huc et illuc dispiciens, aliam nobis oblatam vidi interpretationem, quae huic loco recte convenire videretur. Certe qui περισσείαν κακίας *perversitatis abundantiam* explicuerunt, in quibus olim interpp. Nederl., nuper WIESING., iis perpendendum sane fuerat, quum *Cicero* tenues etiam vitiorum fibras ex animo evellere jusserit, Christi Apostolum, non nimis indulgentem illum officiorum nostrorum interpretem, in *perversitatis abundantiâ* circumcidendâ acquiescere non potuisse. — Et hos, quos memoravimus, et alios loci enucleandi conatus ac singulorum patronos accuratius recensitos videas ab HUTHERO.

'Εν πραΰτητι — λόγον. Quae hîc commendatur animi *lenitas* ac *mansuetudo*, ea *iracundiae* adversaria erat, modo antea reprehensae. Modestum illud laudatur discendi desiderium, quo, non nimis tibi placens ipsi, aliorum oratione meliora doceri cupias.

Δέξασθε, quod nonnulli dictum putârunt pro *audite;* hujus rationis laxitatem jure improbat JACHM. Est enim *accipite*, recte monitis *assentite.*

Ἔμφυτος non potest esse *ingeneratus*, ut *ratio* laudetur *homini innata;* cui tantum tribuisse Auctorem, ut per eam *sospites fieri* possimus, nemo facile nobis probaverit. Ὁ λόγος, idem Christi *euangelium*, quod supra, sect. 18, λόγος τῆς ἀληθείας audiebat, ἔμφυτος potius vocatur, quod *hominis in mente plantatur*, quo excolitur. Ille igitur animus Apostolo *agri* instar est, in quo suum *per Filium* sementem faciat Deus. Christi parabolam de *satore* ne memorem, comparandum omnino quod *Paullus*, 1 *Corinth.* III. 9, ad Christianos accommodat, Θεοῦ γεώργιον. Alia etiam affinia quodammodo veterum dicta GEBS. affert. — Mira nobis AUGUSTII accidit ratio, qui, utrâque, quam attigi, conjunctâ explicatione, h. l. ἐμφύτην *religionem Christianam* dici putat, quoniam in *saná ratione* fundetur, homini innatâ. Eum recte THEIL. refutat ac GEBS.

Τὸν δυνάμενον — ὑμῶν. Nemo, POTTIUM secutus, τὰς ψυχὰς ὑμῶν pro ὑμᾶς dictum opinetur. Omnium autem attentione digna est consensio *Jacobum* inter et *Paullum*, qui *Rom.* I. 16, idem, quod praedicat ille *euangelium*, παντὶ τῷ πιστεύοντι δύναμιν Θεοῦ εἰς σωτηρίαν esse affirmat.

SECT. 22—25.

Euangelium, cujus argumentum sacris in consessibus enarratum audiebant, iis, qui docili id animo perciperent, quam salutiferum esset proxime traditum ostenderat monitum. Hinc igitur sponte manat, hoc justâ excipit consecutione gravissima, quae his continetur sectt., cohortatio, ne ad suam cujusque vitam regendam moresque emendandos adhibenda esse atque in frugem convertenda illius praecepta obliviscerentur.

Γίνεσθε δὲ ποιηταὶ — ἑαυτούς. Ita, sect. 22, eorum, quae paullo copiosius explicare atque appositâ comparatione illustrare volebat Apostolus, breviter ac strictim praemissum summarium.

Γίνεσθε, paullo significantius illud, quam *ἔστε*, nondum eo, quo oportebat, obsequio, Christi mandatis morem gerere lectores monebat.

Γίνεσθε ποιηταὶ κ. τ. λ. brevius enuntiari potuerat *ποιεῖτε τὸν λόγον.* Sed ipsa haec enuntiati forma assiduum sanctissimi officii exsequendi studium commendare videtur. Utramque hanc THEILII, quem laudat etiam WIESING., meum ad consilium accommodavi animadversionem. — Cum h. l. autem omnino *Paullinum* est conferendum dictum, *Rom.* II. 13.

Παραλογιζόμενοι ἑαυτούς. Quod hîc adjectum legimus participium quid lectoribus metuendum esset monet, si solo, quem diximus, *auditu* pietatis officium absolvi putarent. Verbum pp. *male calculos subducere* notat, hinc *decipi* aut *se decipere ipsum.* Ita nimirum perperam nonnullos vitae suae veluti calculos subducentes videbat Auctor, quod a nudâ divinae doctrinae cognitione eos,

quos pia solum ferre posset *obedientia*, fructus exspectarent. Quamquam permittit etiam usus loquendi et forsitan proxime sequentia suadent, ut solum hoc sibi velle dictum existimemus, quod, si in oblivionem abire sinerent audita, recte *de se judicare* nequaquam discere possent.

SECT. 23.

Κατανοοῦντι [1]) — *ἐν ἐσόπτρῳ*. Oecumenio praeëunte ac theophylacto, recte plures monuerunt interpp., fervido scribentem nec repente stilo Jacobum ita suas subinde informare imagines, ut earum partem, *accommodationem* imprimis, lectori supplendam relinquat. Quod, in sect. certe 23 sq., sine dubio nobis usu venit. Hic igitur homo nobis repraesentatur, qui *in speculo nativum suum* depictum *videt vultum*. Τὸ *πρόσωπον τῆς γενέσεως*, *vultus natalium*, ille esse videtur, quem a naturâ, i. e. Jacobi ex mente (v. supra s. 17), a Deo accepimus. Quod hunc *κατανοεῖ* homo, pottio est *raptim adspicit*. Quae quidem notio non ipsi per se inest verbo. Sed tamen quum mox opponatur *ὁ παρακύψας εἰς νόμον*, de eâ hîc cogitandum videtur inspectione, quae obiter fiat nec eâ, quâ par erat, adhibitâ attentione. Forsitan Auctori hîc etiam *πᾶσα ῥυπαρία* obversabatur, quam deponendam esse modo antea monuerat. Certe, ut sibi constet comparatio, cogitatione supplendum est, nativam quidem suam frontem stolidum istum adspicere hominem, minime sordes maculasque, suâ socordiâ ei adspersas ac culpâ.

---

1) Hoc vocab. omnes, quantum novimus, recte scribunt codd. praeter unum *Sinait.*, qui, manifesto scripturae vitio, habet *κατανοοῦντες*. Sed errorem emendavit codicis Corrector C.

SECT. 24.

Κατενόησε γὰρ — ὁποῖος ἦν. Plenius explicandae sectio haec 24 inservit inchoatae comparationi. Ubi verbum κατενόησε concinne referri ad paullo superius ejusdem verbi participium κατανοοῦντι nemo non videt. Nec est quod eos denuo refutemus, qui et utrumque *aoristum* et *perfectum* pro *praesenti* hîc usurpata putant. Animadvertamus potius, quae res exempli gratiâ memorata erat, quam eleganter, in narrationis formam imagine conversâ, oculis quasi nostris admoveatur. *Se ipsum* (idem quod plenius modo antea *nativum suum vultum*) *intuitus est, abiit ac continuo qualis esset oblitus est.* Hic, si accuratius ac diligentius speculum inspexisset, quam turpibus inquinatus sordibus sibi esset vultus vidisset, easque nunc sibi cognitas eluere potuisset. Quem vero minime sibi honorificum refugiens conspectum, quam celerrime speculo tergum vertit, neque igitur quae fronti sunt illitae maculae, eas abstergendas curat.

Justo tenuius comparationem, quam *parabolam* fere dicere possis, id solum notare statuit DE-WETTIUS, quod vitiorum nostrorum speculum lex sit aut euangelium. Hoc quidem significari facile largior; sed non hoc unum erat, quod copiose adeo informata docere vellet imago. Cujus, iterum iterumque perpenso loco, sic definiendam puto sententiam. Euangelium *speculi* instar est pellucidi, quo animorum nostrorum deformitatem nobis conspiciendam dat Deus ac repraesentat; idque benigno eo consilio ut a cognitâ illâ nos depurgemus. Sed qui non nisi raptim atque aliud agendo speculum illud inspicit, atque in solâ hâc festinante acquiescit inspectione nec

accurate sua vitia cognoscet nec ea emendanda curabit. Atque ille igitur est ὁ παραλογιζόμενος ἑαυτόν, sect. 22, ille ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς, qui mox memorabitur.

SECT. 25.

Ὁ δὲ παρακύψας κ. τ. λ. Παρακύπτειν, pp. in rem *se demittere*, *incurvare;* sicuti, *Joann.* XX. 5 et 11, de Joanne dicitur et Mariâ παρακύψασι Christi in sepulcrum. Deinde *accuratius investigare* notat; atque huic eo accommodatius est loco, quia ad modo memoratum respicitur *speculum;* antiquorum autem specula non, sicuti nostra hodie, de pariete suspensa erant. Penitus igitur qui in ea introspicere volebant, proni iis tantum non inhaerere atque incumbere debebant. Hoc autem particip. παρακύψας adjecto illustratur altero παραμείνας, quod verbi ἀπελήλυθε, s. 24, disjunctum est. V. omnino GEBS.

Cum homine igitur, ut accurate vultum suum et quae eum inquinant contempletur, diutius ante speculum *permanente*, ille comparatur, qui pie et attente legem considerat atque ad semet accommodat divinam. Caeterum ponitur hîc doctrina, infra, Cap. III. 2, disertius tradita de homine *peccatis obnoxio.* Quicunque enim legis tanquam speculum, ut par est, intuetur, alium se esse deprehendit atque esse deberet adeoque animi sese indigere emendatione.

Εἰς νόμον — ἐλευθερίας. Institutio significatur *Christiana*, quae apposite lex dicitur, et quoniam antiquâ cum *lege* comparatur, et quoniam ab eâ singulatim parte hîc spectatur, quâ *jubet* et *vetat.* — Vocatur ea νόμος τέλειος ὁ τῆς ἐλευθερίας, et ut eam *minus perfectae Moysis* legi antecellere, et a molesto hujus cerimoniarum jugo

nos liberare indicetur. Vid. omnino OECUM., a GEBS. laudatus. — De consensu autem *Paullum* inter et *Jacobum* quo certius nobis constet, prae caeteris perpendatur Rom. II. 13, cujus loci eadem fere est, quae nostri, sententia. Tum cff. *Gal.* V. 1 et VI. 2. Priore enim dicto *libertas* praedicatur, quâ nos *liberavit* J. C.; altero *ὁ νόμος τοῦ Χριστοῦ* memoratur.

Οὗτος οὐκ ἀκροατὴς κ. τ. λ. Prius hoc *οὗτος*, secundum A. B. C. *Sinait.* pluresque alios testes, ejecit LACHM. atque idem olim fecerat TISCHEND., qui vero quod olim ejecerat nuper restituit ac diserte tuetur. Recte sane. Illi enim, quos dixi, aliique librarii, hîc, ut saepe alibi, proscripto pronom. demonstr., structuram, a quâ non requiri id videretur, faciliorem reddere studuerunt ac leniorem. *Jacobus* autem, bis posito pronomine, strictius acuere volebat sententiam, atque *hunc demum*, quem dicit, *nec alium quemquam*, felicem praedicare.

Ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς pro *ἐπιλήσμων*, quod in nonnullis est codd., Hebraïsmum habet aut certe redolet. Quod plerique viderunt interpp. Respicit autem ad v. *ἐπελάθετο*, sect. 24.

Ποιητὴς ἔργου. POTTIUM, laxe interpretatum *ποιητὴς ἐργαζόμενος*, jure reprehendit GEBSERUS. *Ἔργον* omne illud complectitur, *quod agendum cultori suo Christi praecipit religio.* Supra, ineunte sect. 22, *ποιηταὶ λόγου* memorati erant. Hîc igitur qui laudatur, *ποιητ. ἔργ.* plenius describi potest *ποιητὴς ἔργου τοῦ λόγου*, *qui ea exsequi conatur, quae divinae sunt doctrinae*, cum iis, quae praecipit, conveniunt. — *Ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ*, scil. *τοῦ ἔργου*, quod ex proxime praecedentibus repetendum, *ita dum agit, ad Christi euangelium ac placita totam*

componens vitae rationem. Minus accurate enim idem hoc esse dicit POTT., quod *διὰ τῆς ποιήσεως.* — Supra etiam Cap. I. 4, ita ab Auctore usurpatum vidimus v. *ἔργον*, ut non sola contineret *facta externa.* Ac nostro etiam loco non de his unice dici recte monuit THEIL.

SECT. 26 et 27.

Ecce nobis Apostoli consilio plane accommodatam Capitis clausulam. Reprehensâ enim, s. 26, opinatâ ac falsa *θρησκείᾳ*, veram deinceps Deoque acceptam, s. 27, sequendam commendat. Exemplis igitur allatis, et *negantibus* et *affirmantibus*, superiora omnia concludit, confirmat illustratque monita.

SECT. 26.

Ne leviorem attingam lectionis varietatem [1]), incertioris sunt originis vocc. *ἐν ὑμῖν*, quae Recepta post *εἶναι* habet, aliquot autem codd. illum ante infinitivum. Omissa enim deprehenduntur ab A. B. C. Sinait. aliisque nonnullis codd. Nec reddiderunt Syriaca utraque aliaeque quaedam verss. antiquissimae. Non mirum igitur, non omnes quidem, sed plerosque tamen ea vel e textu ejecisse vel certe suspecta declarâsse Criticos. Quorum nomina tam accurate recensuit REICHIUS, ut unum hoc addendum habeam, a. jam 1841 et sequentibus deinceps edd., constanter *ἐν ὑμῖν* ex contextu remota tenuisse

1) E. gr. pro *τούτου*, omissâ priore syllabâ, *του* habet *Sinait.* Quem vero errorem ejus emendavit Corrector C.

TISCHEND. Nec tamen tenuiter testata esse dici possunt. Retinent enim G et K, retinent minusculorum longe major pars, quibus non raro veriores, quam quas antiquissimi praebuerant codd., conservatas esse lectiones, non desunt quae doceant exempla. Ita igitur dissentientibus, ut litem non plane dirimant, libris scriptis, hoc quidem loco vetustiores sequi paullo tutius videtur. Quum praesertim ad ea inculcanda proniores essent librarii, quae N. F. dicta auditorum lectorumque animis propius admoventia, eorum παραινέσει maxime conducere viderentur. Quae quum ita sint, librariis binas has deberi voculas probabilius existimo, quam Apostolo. Sed omnino consulatur, quem modo antea laudavi, Criticus Goettingensis, qui subtiliter utramque in partem disputat nec vero a nobis dissentit.

Εἴ τις δοκεῖ — θρησκεία. Si qui alii, *Judaei* certe ἐδόκουν, *sibi videbantur* in Deum religiosissimi, nec mediocriter de suâ hâc religione, externis potius ritibus, quam internis animi sensis constante, gloriari consueverant. Cf. *Rom.* II. 17 sqq. et *Actt. App.* XXVI. 5, ubi ipsum nostrum de iis usurpatur θρησκεία. In interpp. consulatur THEIL.

Sed plane admirabilis est nexus, quo hîc singula et secum invicem ligata sunt et cum superioribus. Θρῆσκος quidem, ineunte et θρησκεία exeunte sectione, quam apte sibi respondeant nemo non videt.

Tum μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν ἑαυτοῦ *suam non frenans ipse linguam*, lectorum in memoriam sect. 19 et 21 monita revocabant, quibus *ad dicendum tardi esse* jubebantur et *placide compositis animis divinam accipere institutionem*.

Sequitur ἀλλ' ἀπατῶν καρδίαν ἑαυτοῦ, *sed suum ipse decipiens animum.* Hoc item commode ad comparationem referri potest, sect. 23 et 24 informatam; ut ille intelligatur, qui ita *sibi fucum facit*, ut, non nisi obiter *divini Verbi speculo inspecto*, sua non depicta videat peccata nec ea emendanda curet. Sed majorem etiam forsitan a facilitate commendationem altera haec habet ratio, ut ad prima hujus ipsius sect. 26 verba referatur. Sic eum hîc reprehensum videbimus, qui, quamvis inepte garriat, germanum tamen Dei cultorem sese reputat.

SECT. 27.

Praeclaram tandem universo huic Capiti clausulam h. l. imponit, qui verae Deoque acceptae religionis bina affert exempla *affirmantia.*

Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος, *pura nec inquinata religio.* Hanc praecipuam nisi unicam religionis *puritatem* interpretabantur plerique Judaei, ut *corpus* suum purum quis haberet servaretque ab omnibus iis, quae ex legis traditionumque institutis illud quâcunque tandem ratione *inquinare* possent. Quam sapienter igitur Apostolus eam, quam sequendam commendat, religionem ita *non inquinatam* dicit, ut eam quum actionum benevolentiâ, tum animi puritate cerni moneat! [1])

Παρὰ τῷ Θεῷ καὶ πατρί, *Deo illo judice, qui, quum benignissimus sit Pater, amoris imprimis operibus ac fruc-*

1) Incertioris est hic art. originis, quem habet quidem, secundum A. B. C* aliosque plurimos, LACHM., omittit vero, secundum C** G. K. pluresque, TISCHEND. Item omiserat *Sinait.* a primâ manu, sed restituit, qui meliores subinde praefert lectiones, illius Corrector C.

tibus, quibus eos, quibus vitam dedit ipse, demereas, sibi debitam demonstrari vult venerationem. Sic enim h. l. atque hâcce in contextâ oratione *Patris* notio definienda nobis videtur.

Ἐπισκέπτεσθαι — ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν. Viduarum atque *orphanorum* tristis ut plurimum in Oriente sors esse consueverat. Nec legum Mosaearum sapientia atque aequitas a divitum injuriis tutos praestare eos potuerant. Hi igitur, passim praeeunte V. F., ab Auctore pro quibusvis dicuntur *miseris*, quos vel fatorum acerbitas oppresserat vel hominum iniquitas. Quos si *ἐπισκέπτεσθαι* jubemur, non solâ *invisendi*, *benevole adeundi* humanitate praeceptum absolvitur, sed omnem potius iis opem ferendi eorumque miseriam levandi voluntatem ac curam complectitur. Apud Jacobum enim externas actiones interna animi sensa figurare et antea nobis apparuit et postea denuo constabit.

Ἄσπιλον — τοῦ κόσμου. Elegantissimâ concinnitate hoc cum praecedente connectitur: *θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος.* Quod si attendimus, nativam aliquam vim dictum habet ac venustatem. Nam haec demum tanquam *pura* laudatur religio, quâ *a mundo*, id est ab impuris ejus cupiditatibus, *purum* te ipsum conservaveris.

Quae de loci concinnitate singularumque ejus partium conjunctione disputavimus, si recte se habeat, mirum nobis accidat oportet iniquum DE-WETTII judicium. A quo viro acutissimo reprehensum audimus Jacobum, *quod minus accuratâ nec totam, quae in censum veniret, rem complexâ definitione veram falsae religioni opponat.* [1])

1) Germ.: „*in ungenauem Gegensatze und in nicht erschöpfender Weise.*"

Enimvero ex officiorum, quae vulgo vocantur, classibus, et *erga naturae socios* et *erga nosmet ipsos* praestandorum, ea singulatim *exempli* causså commendat officia, quorum sanctitatem multis a lectoribus non, sicuti par erat, aestimari novisset. Tum, ne quid *Deo* deberetur obliviscerentur, *ex Dei divinaeque legis veneratione*, παρὰ τῷ Θεῷ πατρί, haec iis exsequenda esse officia diserte monet et affirmat. In his igitur quid vel ad rerum descriptionem ac disjunctionis absolutionem jure desiderari possit me non videre profiteor.

CAPUT SECUNDUM.

SECT. 1—4.

Varia sunt conjunctionis momenta, quibus cum superioribus haec connexa appareant monita. Quum enim, I. 19 sqq., quâ pietate sacris in consessibus versandum esset, ac quomodo ibi audita in frugem convertenda essent docuisset Vir sapientissimus; sponte in hanc ferebatur de honorifice illic admittendis *egenis* adhortationem. Sed pressius etiam cum proxime praegresså ea cohaeret Cap. I ultimâ sectione, quae benevolam afflictorum miserorumque curam studiose commendaverat. Quam nexûs opportunitatem eo plenius percipiemus, quo accuratius attenderimus, quae hîc de tenuioribus hominibus monentur non ignominiose habendis, ea, ut assolet Auctor, *exempli* vim et consilium habere, ut, uno hoc pro-

posito actu publico, universe et ab illis vilipendendis deterrerentur epistolae lectores, et ad eos humaniter tractandos excitarentur. Cui ipsi admonitioni viam jam straverat ac fundamentum quodammodo jecerat magnifice laudatum, I. 9, ὕψος τοῦ ταπεινοῦ. Non dissimile Christo consilium erat, propatulas illas Scribarum ac Pharisaeorum actiones habitusque reprehendenti, qui in ejus oratione, *Matth.* XXIII. 6. 7, memorati exstant. In *Corinthiorum* etiam coetibus nequaquam, sicuti par erat, habitos esse τοὺς μὴ ἔχοντας, ex *Paulli* discimus reprehensione, 1 *Corinth.* XI. 21. 22.

Ἐν προσωποληψίαις. Recte monente WINERO [1]), hujusmodi nominum abstractorum *pluralis* diversas formas rationesque indicat ac complectitur, quibus animi affectio aliqua prodi potest ac demonstrari. — Ipsa autem locutio ἐν προσωπολ. per verbi, quo infra sect. 9 usus est Auctor, participium προσωποληπτοῦντες resolvi potest. Memorabile videtur Scriptorem, qui plerumque purioris Graecitatis studiosum se ostendit ac peritum, hîc, ubi de *synagogâ* agit, et substantivum illud et hoc verbum plane ad Hebraeorum imitationem conformâsse.

SECT. 1.

Μὴ — τὴν πίστιν. Particulae μὴ multi hîc *interrogandi* potestatem tribuerunt, ut *interrogans* adeo enuntiatum id, quod in quaestione ponitur, disertius *negare* censeatur. *Potestisne, dum divitibus prae egenis favetis, veram habere fidem?* Ita STORR., ROSENM., STOLZ., SCHULT.,

---

1) Gramm. ed. *quintae* p. 203, quocum conferatur ad h. l. HOTTING.

SCHNECKENB., KERN., POTT., GEBS. Quae mihi etiam ipsi olim arridebat interpretatio. Nunc vero, monente HUTHERO, WINERI ex doctrinâ, hocce in contextu, *interrogandi* vim habere non posse μή video. Quae si cui forte argutior, quam verior, videatur magni Grammatici doctrina, alius est, quae a memoratâ amplectendâ ratione retineat, gravior scrupulus. Sic enim si enuntiatum informare voluisset, Auctorem, in paucis copiosum illum, potius dicturum fuisse puto, quo accuratius definiretur ea, quam significabat, fides: μὴ ἀληθῶς ἔχετε τὴν πίστιν vel τὴν ἀληθῆ πίστιν vel simile quid. Quum igitur quae pauci alii commendant nullam magnopere habeant probabilitatem, μή *negandi* particulam habere praestat, ut dicti haec sit sententia: *Ne ejusmodi vestra sit fides ut simul humanae dignitatis* (pp. *personarum) ratio habeatur.* Ita, post Latinam veterem et utramque Syriacam versionem, AUG., KNAPP., HOTT., THEIL., HUTH., VISSER. Atque eodem fere modo alii. Verum imprimis mihi attendendum videtur, proxime sibi invicem admota, ἔχειν τ. π. et ἐν προσωπ. quam acute utriusque indicent repugnantiam.

Τοῦ Κυρίου — τῆς δόξης. Ultimum quidem hunc genitivum alii cum πίστιν, alii cum προσωπολ. conjungendum putant. Verum longe majorem et a verborum collocatione et a sententiae bonitate commendationem plerorumque habet ratio, qui cum proxime praegresso *Domini* nomine construendum hunc putant genitivum. Ac SCHULTESZII mihi placet monitum, quod spernere non debuerat DE-WETTIUS, ita constructionis tollentis aut emollientis duritiem, ut, τῆς δόξης arcte juncto cum Χριστοῦ, hujusmodi aliquis obtineat parallelismus:

Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ,
Χριστοῦ τῆς δόξης.

Sane, si alibi non raro in N. F. *Christi* i. e. *Messiae* nomen *acuitur* atque emphasin habet, *Jacobus*, cujus tot priva ac peculiaria habet oratio, magis etiam illud urgere censendus est, Χριστὸν τῆς δόξης i. e. ἔνδοξον eum appellans. Praeclara igitur haec loci sententia est: Si, sicuti vos facere consuevistis, hominum divitias suspicitis et potentiam, non eâ, quâ par est, veneratione *Dominum nostrum Jesum* colitis, *Christum* illum *gloriosum*, cujus unius summa est dignitas honosque. Cf. 1 *Cor*. II. 8.

SECT. 2—4.

Ineunte sect. 2, lectores compellans, eorum memorat Auctor τὴν συναγωγήν. *Articulum* enim, quem solitâ sibi socordiâ omiserunt B et C, recte retinet TISCH. [1]) Sed quae hîc nobis intelligenda est *synagoga?* Non audiendi sane qui ab *Essenis* vocem repetitam putant. Nec melius alii de consessu quodam eam sumunt, *ad Christianorum lites componendas coacto*. Quos satis refutavit GEBS. Sed longe plerique interpp. *locum* significari existimant, *ubi, a Judaeis jam sejuncti, religionis caussâ convenirent Christiani*. Quae vero sententia non unâ premitur difficultate. Vox enim συναγωγή saepissime in N. F. de loco sacro dicitur, sed semper de *Judaeorum synagogâ*. Est haec illius notio, quam *signatam*, i. e. usu defini-

1) Quod ad *articulum*, idem hîc codici *Sinait.* usu venit, quod supra, I. 27. Nam hîc etiam, quem omiserat prima manus, restituit Corrector C. Hoc certe loco recte.

tam dicere possumus. Nam quod GROTIUS, *Actt. App.* XV. 21, de Christianorum consessibus, v. usurpari contendit, ipso loci contextu refutatur [1]). Adeone Apostolum, qui diserte *ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ* epistolam inscripsit, ita hîc *τὴν συναγωγήν* nominâsse probabile est, ut a constanti loquendi usu, nullâ cogente necessitate, recederet atque ita temere orationi nebulam offunderet? Hoc singulatim loco, ubi exquisito cum delectu singula sunt posita vocabula, quidni potius, si privatos *Christianorum* indicare voluisset consessus, magis perspicue dixit *τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν*? Tum dicat mihi quis, quae hîc memorantur, honoratiores divitum sedes et egenorum subsellia, nonne melius in Judaeorum synagogas, non raro magnificas illas, conveniant, quam in tenues eos Christianorum consessus, qui primo tempore in abdito quodam urbium angulo privatim haberi solerent? — Quae quum ita sint, opportune nobis hîc usu venire videtur optimae frugis SCHNECKENBURGERI monitum. Qui: „*Initio fortasse*," inquit, „*ipsae Judaeorum synagogae* „*Christianorum quoque usui inserviebant, qui quidem, Mo-* „*saicae quoque legis cultores, ab illis parum distabant,* „*nisi quod Jesum* MESSIAM *putarent.*" Certe, etsi non hoc solum dixerim, quod hos inter et illos intercesserit, discrimen, id multis constat documentis historicis, in rei Christianae primordiis, Judaeorum a synagogis non plane sese segregâsse Judaeo-Christianos. Illo igitur praeeunte, ante quem eandem interpretandi viam monstârat

---

1) Neque enim, qui ibi dicit, ipse noster Apostolus Jacobus *Christianorum* de coetibus affirmare potuit, in iis *κατὰ πόλιν* recitatum esse Moisen *ἐκ γενεῶν ἀρχαίων.* — De v. *ἐπισυναγωγή*, *Hebr.* X. 25, quam nonnulli huc trahunt, quae tamen vere diversa est, vid. ibi BLEEKIUS.

semlerus, cuique kernius assentitur et theilius [1]), ejusmodi hîc describi puto *synagogam Judaicam*, unde nondum exclusi essent quamque adire circumsecti consuevissent Christiani.

Quam vero sententiam ut confutet, hutherus *Christianis* jus concessum esse negat, quod iis h. l. tribuere videtur, suam cuique in *synagogâ* sedem assignandi. Tum post de-wett. urget wies. id fieri non potuisse, quod nostrâ ex interpretatione tanquam late vigens aliqua ponatur consuetudo, ut ejusdem simul *synagogae* consortio quum *Judaei* uterentur et, qui diserte hîc compellantur, Christiani.

His quidem in objectionibus nihil magis mirum nobis accidit novumque, quam quod arctissimam, quae Judaeos inter eorumque cives Christo jam conciliatos intercesserit, necessitudinem vinculumque negare aut certe non, ut par erat, attendere videntur Viri docti. Hoc enim utrorumque vinculum diu ejusdem synagogae usum constrictum tenuisse indubiis constat historiae testimoniis, quae post theilium aliosque in Introitu advocavimus. Nec vero *synagogae*, cui nondum valedixerant, consortium Christi cultoribus opportunitatem demebat nec voluntatem proprios sibi privosque adeundi consessus atque et alios in usus et aegrotorum in consolationem eos legendi *presbyteros*, qui, V. 14, non πρεσβύτεροι τῆς συναγωγῆς appellantur, sed τῆς ἐκκλησίας. — Nec caeterae ejusmodi sunt objectiones, quae interpretationem confutare possint, et in historiâ et in usu loquendi fir-

---

1) Utrius generis conventus aut consessus locus significetur, se dubitare profitetur hotting.

missimum habentem praesidium. Probe enim perpendendum est *encyclicam*, testante inscriptione, hanc esse epistolam, ad omnes quantumpote Judaeos, longe lateque *extra Palaestinae fines dispersos*, non ad eos solum, qui Domino jam nomen dederant, sed ad caeteros etiam perferendam illam. Nam hos etiam, etsi adhuc in avitâ religione haerentes, gravissimi tamen Doctoris, quem ut sanctissimum aliquem *Rabbi* omnes venerarentur, non spreturos esse sperare licebat. In his igitur nullos fuisse, civibus *Palaestinensibus* liberaliores, qui vel apertis vel clandestinis Christi cultoribus, nisi auctoritatis quid, certe suffragii ferendi jus suâ in synagogâ concederent, quis tandem erit qui asseverare audeat? Quum praesertim, vel unâ in Asiâ Minore, ut de eâ solum dicam, sexcentae Judaeorum synagogae exstarent vel minores proseuchae, quibus qui praeerant aut interesse consueverant linguâ, moribus atque institutis longe a se invicem differebant. Sed ejusmodi etiam tibi synagogam informa, in cujus quidem sociis ignoti laterent aut despicerentur Christiani, verum ubi recitata tamen audiretur epistola; nonne ibi quoque, quae illos proxime spectabant atque iis imprimis monendis inserviebant, ea caeteros, τῇ προσωποληψίᾳ peccantes, ad meliorem mentem revocare poterant, aut salutari suffundere rubore? Haud aliter certe Christi in *oratione montanâ*, cujus imaginem saepe nobis repraesentat Jacobi haec epistola, non pauca legimus monita, quae, etsi vel Apostolorum singulatim vel caeterorum Domini discipulorum animis regendis ac consolandis attemperata essent, tamen aliis etiam, quotquot aderant, auditoribus longe utilissima apparerent.

Jam vero, hunc *synagoges* scopulum praetervecti, an-

teaquam in enarrando loco continuo, sect. 2—4, pergamus, ne postmodum lectionis nos detineat varietas, de eâ nonnulla moneamus. Ineunte igitur *sect.* 3 vulgatum καὶ ἐπιβλέψητε tuentur A. G., ad quos nuper *Sinait.* accessit; tuentur tantum non omnes minusculi aliique testes; tuentur eorum auctoritate GRIESB., KNAPP., SCHOLZ., LACHM.; tacite conservare videntur THEIL., KERN., SCHNECK. Verum illi substituunt ἐπιβλέψητε δέ B. C. K. 69, Corbej. Syr. post. Theoph. Neque enim alii memorantur. Quae lectio ita placuit TISCHENDORFIO, ut, ab a. inde 1841, in omnes deinceps eam reciperet, quas curavit, editiones. Ac sibi assentientes habet DE-WETT., WIES., atque HUTHERUM, qui vulgatam ex librariorum repetit *correctione.* Quae ipsa vero suspicio mihi non minus certe convenire videtur in variam illam lectionem, quâ substitutâ hîc tollere voluerint librarii copulam καί, et proxime praecedentem illam et mox in eâdem hâcce periodo *quater* adeo recurrentem. Recepta igitur quum nec internâ careat probabilitate et longe majorem habeat a plerorumque testium suffragiis auctoritatem, nimius mihi fuisse videtur codicum B et C amor, qui eam in dubium revocaret.

Quod ibidem, post prius εἴπητε, habet ELZEV. pronom. αὐτῷ omittunt codd. unciales A. B. C. *Sinait.* cum 6 minusculis, cum unâ alterâque vers. ac Theoph. Quorum suffragia secutus, voculam e textu removit TISCH. Quo in judicio et sibi constitit et assentientes habet GRIESB., SCHOLZ., HOTT., GEBS., HUTH., WIESINGERUM. Retinent vero et G. K. et, paucis exceptis, omnes minusculi plerisque cum verss. et OECUMENIO eorumque exemplo et auctoritate BENGEL., WETST., MATTH., BLOOMF. et vero, quem non ultimum memorare par erat, REI-

chius[1]). Cujus verissimum se mihi probavit monitum, *„pronomina, ad sensum haud necessaria orationemque lan„guidiorem facere visa, sexcenties in codd., praesertim „Alexandrinae fabricae, eliminata esse.“* Quae quum ita sint, neutram in partem judicii critici lances certâ inclinatione vel testes movere videntur vel interna argumenta. Sed, ut in re incertâ, nescio an conservandum sit *αὐτῷ*, quod proxime sequenti dativo *τῷ πτωχῷ* ita respondet, ut orationis Jacobeae copia et concinnitas vix aut ne vix quidem eo carere possit.

Eadem haec sectio bis vulgo habet adverb. *ὧδε*, primum quidem ante *καλῶς*, ubi facile suam tuetur sedem, sed iterum post alterum *κάθου*. Quo vero loco deest in A et B, sed cujus hîc certe vix quicquam pretii habet suffragium, quoniam sine dubio male adverbio *ὧδε* substituit *ἐκεῖ*, quod caeteri recte ponunt ante *ἢ κάθου*. Non habet C* sed restituit C**. Nec habent pauci alii testes, in quibus tres solum codd. minusculi. Tuentur vero idem *ὧδε Sinait.* G. K., minusculi tantum non praeter memoratos omnes, item reichii quatuor. Qui ipse Criticus Goettingensis et verss. recenset, quales sunt pleraeque, quae adverbium exprimunt, et Viros doctos, ita hîc tanquam in binas secedentes acies, ut utrum plures sint, qui *ὧδε* retineant, an qui rejiciant non facile dixeris. Ego quidem omnino retinendum adverbium puto, pro quo tot stant in iisque tam graves testes. Quum praesertim admodum probabile sit temere id a librariis ejectum esse, quibus durior displiceret proximum inter *κάθου* et *ὧδε* diphthongi et longae vocalis concur-

1) In notâ ad p. 163.

sus. Fieri etiam potuit ut aliis ante sequens *ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου* minus aptum aut superfluum videretur. Quod reliquum est, qui nobis in retinendo adverbio consentit, REICHIUS non injuriâ: *„Ejusdem vocis iteratio,"* inquit, *„ad eam omittendam sollicitare potuit; quamquam „hoc ὧδε actum vividius pingit, quod amat Jacobus."*

In hoc ipso autem loco alios aliter errâsse librarios, novo probat argumento praepos. *ὑπό* ante *τὸ ὑποπόδιον*. Pro eâ enim habent *ἐπί* B** et tres minusculi. Quod Pesch. etiam expressisse nonnulli putant. Sive autem quid hîc sibi vellet praep. *ὑπό*, imperiti non intellexerint scribae aut correctores, seu duriorem evitare voluerint, qui ex repetitâ eâdem syllabâ *ὑπό* exsisteret, sonum; male eorum exempla et HERDERUM secutum esse et SCHULT., verissime monuerunt GEBS. et THEIL. aliique.

Quartae sect. lectione definiendâ admodum laudabile prudentiae exemplum nobis praeivit TISCHEND., quod et aliis imitandum commendamus et ardentissimis quibusque ejus admiratoribus. Est enim prudentis Critici, illius maxime, qui in N. F. textu constituendo versatur, ut, sicubi dubia res est, a receptâ potius lectione mutandâ manum abstineat, quam ut, temere eam refingens, vel audaciae notam incurrat ipse, vel alios, magna nomina suspicientes, in imprudentiae societatem abripiat. Tribus enim prioribus ex editionibus, quae hanc sectionem aperit, copulam *καί* tollendam curaverat Criticus Lipsiensis. Quod probantibus fecerat aut certe non improbantibus pluribus VV. doctis [1]). Nuper vero, *septi-*

1) Eorum, qui copulam vel tuentur vel rejiciunt, nomina recensuit REICH.

mis curis retractato N. F., ab eo et antiquo loco repositam videmus copulam initialem et hocce adscriptum monitum: *„καὶ non minus ab alienâ manu abhorret, quam „cur a tot testibus abjectum sit clarum est.”* Quo illius dicto, per brevitatem paullo obscuriore, hoc, ni fallor, significatur, probabiliter a nullâ alienâ manu inculcatam esse copulam, verum non magis, germana si sit, repudiatae illius tot a testibus commodam reddi posse rationem. Quo circa, quum evidentissimum hîc ferri nequeat judicium, a textu recepto nunc sibi non recedendum putat Criticus nobilissimus. Atque ea sane hîc deprehenditur librorum scriptorum dissensio, ut, eorum exemplo atque auctoritate, dissentire eruditos non sit quod mireris. Habent enim copulam G. K., minusculorum longe major pars, MATTHAEII omnes, REICHII tres. Eam quam disertissime THEOPHYLACTUS tuetur et OECUMENIUS; quorum utriusque eo gravius est judicium, quo probabilius antiquorum niti videtur librorum testimoniis. Contra omittunt A. B.** C. *Sinait.* aliique, ni fallor, codd. 16; tum plures verss., quarum in numero Pesch. Syra Philox. Vulg.; tandem Patres aliquot. Quamquam, hujusmodi quidem in re, minus clara esse novimus minusque certa versionum ac Patrum suffragia.

Mihi quidem, si de me fateri licet, idem quodammodo usu venit, quod nobilissimo, quam dixi, Editori, ut aliter nunc, quam ante hos plures annos, locum constituendum existimem. Olim enim male a librariis aut emendatoribus inculcatam esse copulam putabam, qui hocce inter enuntiatum et antecedentia ac consequentia, quae ab eâdem incipere viderent copulâ, symmetriam quandam quaesiissent et aequalitatem. Nec satis

attenderam praestantissimum cod. B ab initio (a primâ manu) non solum *καί*, sed proxime sequentem etiam particulam negantem *οὐ* omisisse, atque adeo per manifesto falsam hanc lectionem hîc quidem fide digni testimonii ferendi jure sese defraudâsse ipsum.

Nunc vero, denuo a me perpensam loci structuram, quae doctissimos etiam male habuit interpp., multo magis imperitis nebulas offudisse librariis aut eorum correctoribus admodum probabile duco. Neque enim viderunt aut satis attenderunt longioris, a sect. 2 inchoatae periodi *apodosin* aperire copulam *καί*. Quem quidem ejus usum rariorem dicit SCHNECK., haud dubiis vero exemplis allatis, et ipse confirmavit et WINER. ac BUTTM. tuiti sunt [1]). Hujus igitur usûs vel ignoratio vel neglectio *copulae* damnosa fuisse videtur eique temere ejiciendae ansam dedisse. Quo certius nunc voculam, gravissimis non destitutam veterum testimoniis, cum TISCH., REICH. aliisque conservandam puto.

Si paullo diutius critica nos detinuit de sect. 2—4 disquisitio, breviorem aliquanto moram exegetica nobis afferet loci enarratio. Etsi enim non ita expeditam habeat intelligentiam *ἡ συναγωγή* s. 2., de quâ jam vidimus, et v. *διεκρίθητε* s. 4, caetera tamen hîc tam pellucida sunt atque eadem tam elegantia, ut vix rogandus mihi sit lector ut eorum qualicunque me utatur interprete, sed potius ut *scenam* mecum intueatur, quam nullus facile Poëta aut Pictor adeo lucidioribus ornare possit,

---

1) Καί, periodi apodosin aperiens ac fulciens, defenderunt WIN. p. 256 et 389, BUTTM. l. l. p. 311 et 320.

quam fecerit *Jacobus*, coloribus. Ecce igitur! synagogam intrat *ἀνήρ*, non de trivio homo quispiam, sed *vir* honoratus [1]), quem locupletem esse [2]) corporis ornatus commonstrat et amictus. Est enim *χρυσοδακτύλιος*; quâ voce, quamvis linguae respondens analogiae, solus, quantum novimus, antiquorum hîc usus est Auctor, i. e. *aureos gestans manuum in digitis annulos.* Graecorum Romanorumque mores tulisse ut digitorum annulis *viri* etiam ornatas haberent manus, ex veterum locis apparet, a THEILIO, GEBS., aliisque ad h. l. allatis. Orientalium *foeminis* eosdem in deliciis fuisse annulos, D'ARVIEUXII aliorumque peregrinatorum, quos SCHOTELIUS [3]) laudavit, docent narrationes. Atque ibi quoque hanc mundi muliebris partem imitatos esse *viros*, hoc ex loco effici videtur. Nec certe opus est cum STOSCHIO, a SCHLEUSNERI *Lex.* in v. laudato, *equitem Romanum* hîc informatum putare.

Est porro, quem deformat Auctor, *ἀνήρ*, *ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ*, *splendidâ veste indutus.* Ubi, si de definito aliquo colore sermo est (quod negat RAPHELIUS) adject. *λαμπρός coccineum* potius significat colorem, cujusmodi vestes valde placuisse Orientalibus constat [4]), quam *album*, quem hîc indicari putat THOMAS MAGISTER, cujus

---

1) Ἀνήρ idem hîc valere putat POTT. quod τίς. Nimis tenuiter. Quum praesertim in loco, ubi caetera concinne sibi invicem respondent, non repetatur vox ante πτωχός.

2) Talem enim significari et nostri loci disjunctio docet et confirmat sect. 6, quae, huc respiciens, *divites* diserte memorat.

3) Vid. *Bijbelsch Woordenboek voor het Christ. gezin* (*Amst.* 1859), III. 204 sq. v. *Ring.*

4) Vid. cl. VETH, in *Lex. biblico*, modo antea laud. III. 277 sq. v. *Scharlaken.*

vero monitum illius interpp., TRILLERUS imprimis, correxerunt [1]).

Eodem autem tempore quum tenuis etiam aliquis introeat homo, cujus egestatem ῥυπαρὰ ἐσθής, *squalida vestis*, testatur, quam diversâ ratione vel *illum*, qui adsunt recipiant, vel *hunc*, tuos tanquam ante oculos repraesentatum videas. *Locupletem* illum venerationis atque admirationis cum sensu omnes *suspiciunt* atque, honorificâ sede oblatâ: σὺ κάθου καλῶς, inquiunt, *tu hîc pulcre*, i. e. commode, in altiore, non in inferiore aliquo tabulato, *consideas*. (Κάθου pro κάθησο a κάθημαι, quo de Imperat. SCHIRLITZ. et WINER. egerunt [2]), nemini, recentiorem non ignoranti Graecitatem, molestiam creabit. Καλῶς, quod pp. de *sede* valet, metonymice ad ipsam transfertur considendi actionem.) Quantam vero divitis venerationem, tantam pauperis, simul ingressi, contemtionem esse, sociorum verba demonstrant ac gestus. Hunc enim, in quem forte locum se demittere eorumque, quae in coetu aguntur, testis esse possit et auditor modeste circumspicientem, qui quaerentem eum videt, suspenso naso, compellat aliquis: σὺ στῆθι ἐκεῖ — μου, *tu istic sta aut hîc sub meo subsellio sede.* Quod enuntiatum si cum proxime praegresso conferimus, quam concinne quum ὧδε et ἐκεῖ disjungatur, tum κάθου et στῆθι, sponte intelligitur. Verum non ita clarum nonnullis visum est et librariis, quae verborum potestas sit, sectionem 3 claudentium, ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Ubi praepositioni ὑπό

---

1) Vid. J. S. BERNARDI ed. (L. B. 1757) p. 566 sqq.

2) Illius consulantur *Grundzüge der neutest. Gräcitat*, p. 172, hic vid. p. 75.

non substituendum esse ἐπί supra vidimus, nec magis ei aequiparandum esse nunc addimus. Priori enim suâ vi relictâ voculae, non de humili aliquâ cogitandum est sellulâ, *in quâ* considendum esset pauperi, sed de dicentis subsellio, *subter quod*, in ipsam humum seu aedium pavimentum, in quod se demittere misellus homo jubeatur. Quâ de re non DE-WETT. consulatur aut HUTH., sed certiora potius docentes THEIL. et GEBS.

Instat ut de pulcherrimae periodi videamus *apodosi*, quam ineunte sect. 4 a part. καί inchoari vidimus. Neque enim sequendus nobis est ERNESTIUS, qui ita totam hanc per sectionem *prodosin* continuari putabat, ut omissa supplenda sit *apodosis* καλῶς ποιεῖτε. Quam vero rationem et sine necessitate per eam sumta refellit *anacoluthia* et plane confutat verborum structura; modo antea enim binos legimus *Conjunctivos* ἐπιβλέψητε et εἴπητε, hîc binos *Indicativos* διεκρίθητε et ἐγένεσθε. Quod recte POTT. ac GEBS. monuerunt.

Sed longe difficilior nobis quaestio objicitur de significatione vocabuli διεκρίθητε. Cujus pleraeque, quae feruntur, interpretationes frigidiores mihi videntur nec justae satis respondere indignationi, quâ commotus turpi προσωποληψίᾳ peccantes interrogando compellat Auctor. Huic quidem optime STORRII convenit et VANDER-PALMII explicatio: *Nonne*, tam inique agentes, *vestris in animis*, i. e. vestrâ ipsorum conscientiâ, *condemnati estis?* Sed huic eorum, quamvis speciosae, sententiae jure Ἀκρίβεια objiciet hermeneutica, non idem esse quod διεκρίθητε vocab. κατεκρίθητε. *Illud* autem, non *hoc* usurpari videtur, ut continuo hoc moneamus, quando ad id, quod jam Auctoris animo obversabatur ac proxime ab

eo subjicitur, κριταί, non tam commode κατεκρίθητε referri poterat, quam διεκρίθητε. Quod per se quidem mediae potestatis verbum est, sed hîc ex contextu in deteriorem partem accipiendum. Iccirco vertendum mihi videtur: *Nonne igitur*, locupletes, ut facitis, suspicientes, tenues despicientes, *in vestris ipsorum* jam *judicati estis animis?* Nonne improbans ejusmodi de vestrâ istâ perversitate judicium vestram tulisse conscientiam sentitis, ut illud meâ confirmare reprehensione nihil attineat? Etenim per ipsum illum eos condemnari, ad quem provocat *Jacobus*, sensum internum sequentia docent, quibus illius more praecedentia explicantur, ubi *perverse ratiocinantes* appellantur judices. Nam verbis διαλογισμῶν πονηρῶν *genitivum qualitatis*, quem vocant, contineri recte monuit WINERUS [1]).

Recte nos verbum διεκρίθητε intellexisse hujus Cap. sectio 9 ostendit, ubi eandem aliis verbis repeti atque urgeri reprehensionem, quod ibi legimus, ostendit v. προσωποληπτεῖτε. Qui igitur, s. 4, διακριθέντες ἐν ἑαυτοῖς dicti erant, hîc vocantur ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τοῦ νόμου ὡς παραβάται. Cum hoc autem externo legis judicio non poterat non interna consentire vox conscientiae. Tandem nostram verbi διακρίνειν interpretationem, a contextu et proximo et remotiore commendatam illam, in loquendi etiam usu satis firmum habere praesidium loci *Paullini* commonstrant, 1 Corinth. XI. 31 et XIV. 29. Quem utrumque locum recte explicuerunt, qui omnino ibi consulendi sunt, HEYDENREICHIUS et MEYERUS [2]).

---

1) P. 168.

2) Cf. etiam GRIMMIUS, in eâ, quam nuper (*Lips.* 1862) refingere incepit, WILKII *Clav. N. T. philol.* v. διακρίνειν.

Caeterum non mirabor si cui, et h. l. et denuo sect. 9, quae etiam ipsa huc refertur, justo severius res castigata videatur, quae levioris esset momenti. Verum primum teneatur suo pro more externam hanc actionem reprehendisse Auctorem habitumque, quo clarius quibus animorum sensibus iis egeni prosequendi essent ostenderet. Deinde egeni illi, ita contumeliose in synagogâ habiti, si *Christiani* erant, ita offendi poterant, ut detrimentum eorum caperet fides aut in periculum adduceretur.

SECT. 5—7.

Rationes produntur, quae, sicuti faciebant lectores, egenis praeferre divites non permitterent. Non uno igitur gravi allato argumento, merita confirmatur, quae eos modo antea castigârat, reprehensio.

SECT. 5. 6^a.

Recepta *τοὺς πτωχούς* hîc memorat *τοῦ κόσμου τούτου.* Ubi vero delendum esse pronom. demonstrat. *τούτου*, omnium fere bonae notae testium auctoritatem secuti, hodie consentiunt Critici. Nec improbabili conjecturâ ex Hebraicâ ejusdem potestatis locutione fluxisse vulgatam putabat POTTIUS. Verum ipsi ei, quem dixi, genitivo *τοῦ κόσμου*, et in prioribus et in nuperâ 7mâ editione, constanter dativum *τῷ κόσμῳ* substituit TISCHEND. Cujus sententia in codicum A*. B. C*, ad quos nunc *Sinaiticus* accedit [1]), suffragiis fundatur. Sunt etiam pau-

1) Cujus tamen testimonio ne nimium tribuatur; adeo sibi non con-

cissimi quidam alii, tres aut quatuor, (neque enim de numero plane consentitur) qui vel ἐν κόσμῳ habeant vel ἐν τῷ κόσμῳ. Quibus lectionibus glossemata contineri, ad explicandum dativum τῷ κόσμῳ comparata, *hujus* affirmant patroni. Huic enim alios patrocinari, alios eosque plures esse, qui *genitivum* tueantur, et horum et illorum recensio docet, a REICHIO prodita [1]). Quocum nunc, longam post deliberationem, omnino retinendus videtur genit. τοῦ κόσμου. Huic enim et A**. C**. G. K favent et minusculi tantum non omnes; favent verss. antiquissimae quaeque et praestantissimae, in quibus Syra utraque. Ne de THEOPHYLACTI textu dicam atque OECUMENII comm. Quae quamvis magna sit auctoritas, magis etiam internum hoc me movet argumentum, quod contextui vix aut ne vix quidem satis apte conveniat *dativus* τῷ κόσμῳ. Ex eo, si Jacobeus sit, *mundo inopes*, recte interpretante ejus patrono HUTHERO, ii sint, qui apud Deum quidem honorati censeantur et Dei communione *divites*, *mundi* tamen *judicio inopes* habeantur ab eoque tanquam *egeni* despiciantur. Verum enimvero vel sola illa ῥυπαρὰ ἐσθής, quâ indutos hos πτωχούς synagogam intrantes pinxerat sectio 3, eos non *mundo* tantum egenos *visos esse*, sed *re et veritate fuisse* satis ostendit. *Dativum* autem *Alexandrinorum* ingenium peperisse suspicor, qui, quum insano incensi essent *allego-*

---

stat, ut, eâdem hâc sect., ante ὁ Θεός scribat οὐκ, ante οἱ πλούσιοι, ut recte utroque loco TISCH. edidit, οὐχ. — Mox, sect. 6, solus idem *Sin.* post καταδυν. verae lectioni ὑμῶν falsam substituit ὑμᾶς; ubi tamen genitivum restituit Corrector C.

1) Cujus acutae, quae *genitivum* defendunt, animadverss. omnino nostris his cum monitis sunt conferendae.

riarum amore, τοὺς πτωχοὺς etiam h. l. profundiore quodam sensu accipiendos putarent. Sed repudiet hanc meam cui displiceat suspicionem; dummodo certissimam in dubium non revocet lectionem τοῦ κόσμου.

'Ακούσατε — — τὸν πτωχόν. Non debuerat, quod in vulgaribus factum videmus editionibus, duas per *sectt.* unum hoc discerpi enuntiatum, cujus partes elegantissimâ connectuntur disjunctione. Ubi attendenda imprimis est oppositio vocabb. inter ὁ Θεός, sect. 5 initio, et ὑμεῖς, ineunte s. 6, quorum utrumque est acuendum; tum inter ἐξελέξατο, quod Deo, et ἠτιμάσατε, quod lectoribus tribuitur [1]). Nec vero negligendum, quam singularem universo loco vim ac δεινότητα Scriptoris conciliet indignatio, quae *interrogantem* certiusque ita affirmantem orationi formam condidit, s. 2—7, eâdem dictorum serie, uno veluti flumine manantem.

'Εξελέξατο (quo de verbo consulendus imprimis est THEILIUS), *ad religionis Christianae consortium ejusque beneficia percipienda elegit* Deus, τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου. Quo genitivo adjecto *limitatur* pauperiei eorum notio. Non omni a parte πτωχοί hi dicendi erant; tantummodo quatenus, *in mundo* versantes, societati terrenae pro tempore adscripti, terrestribus destituti erant bonis [2]).

Πλουσίους ἐν πίστει κ. τ. λ. *divites quoad fidem*, omnibus iis, quae sincerâ ex fide fluunt, locupletes atque eo ipso *haeredes* caet. Multi quidem sunt interpp., quorum nomina GEBS. et HUTH. recensuerunt [3]), qui prae-

---

1) Vid. omnino KNAPPII monitum apud GEBS. ad h. l.

2) Cf. omnino, qui recte hunc genit. explicat, WIN. p. 170.

3) Quibus ex Germanis DE-WETT. addendus et ipse HUTH., ex nostratibus CLAR. et VAN-DER-PALM.

eunte *Peschito*, locum explicent: *Nonne pauperes Deus elegit ut fide divites essent?* Sed malim, secundum GEBS., omnino consulendum illum, vocab. ἐξελέξατο, quod saepe *absolute* dicitur, ita hîc etiam per se dictum existimare idque ita, ut, *mediâ* verbi formâ monente, vertatur: *sibi*, in consortium sibi sacrum, *elegit*. Ex hâc igitur ratione per *appositionem* accusativi adduntur τοὺς πτωχοὺς, πλουσίους κ. τ. λ., ut *quales* illi sint inopes indicetur: neque enim omnes *electi*, qui egeni, sed soli ii, qui sunt πλούσιοι ε. π. Neque alii *regni heredes* dicuntur, nisi *Deum diligentes*. Ita jam post *Vulg*. LUTH., HOTT., JACHM. alii.

Κληρονόμους — ἀγαπῶσιν αὐτόν [1]). *Regnum coeli*, a Deo promissum *egeno*, cui vix aut ne vix quidem qualemcunque in *synagogâ* sedem concesserant homines! Quantum hoc et quam mirabile summi honoris, infimam sortem excipientis, discrimen atque exspectatio! Per se quidem magnificentius etiam est, quod *Paullus*, *Rom.* VIII. 17, *Dei heredes Christique coheredes* Illius vocat filios. Verum, ut id ejus loci nexui praeclare concinit atque attemperatum est, sic nostro hoc Jacobeo, post *egestatis* proxime factam mentionem, nuda *regni* commemoratio. — Caeterum otium fere hîc mihi fecit THEILIUS, cujus paraphrasin pro pleniore meâ interpretatione reponere juvat. Sic igitur enuntiati sententiam accurate, quantum video, declarat ille: „*Nonne ipse* Deus pauperes *potissimum hujus* mundi sibi elegit, qui divites *essent* fide „*ac virtute christ. adeo*que participes *fierent ornamentorum*

1) Pro βασιλείας *Sinait.*, solo, ut videtur, erroris socio A, scribit ἐπαγγελίας. Sed meliora *illius* vidit Corrector C, qui receptum restituit βασ.

„regni *messiani*, *quod*, haereditatis *quasi jure a Deo* „*patre accipiendum*, *ipse liberalissime* promisit *omnibus*, „qui *sincere efficaciterque* ipsum amarent?" Sed, quamvis laudanda haec sit paraphrasis, nullam tamen esse interpretationem sentio, quin, orationis apostolicae cum gravitate ac sublimitate comparata, veluti humi repere videatur.

Ὑμεῖς δὲ — τὸν πτωχόν. Videas quaeso, quam accurate haec iis respondeant, quae, exeunte s. 2, de *egeno* dicta erant, synagogam intrante ac contemtim ibi habito. Ad quem igitur, intento tanquam digito, rubore suffusum respicere cogit Apostolus lectorem. Omnino igitur hoc quoque *historice* capiendum est disjunctorum incisum.

SECT. 6b. 7.

Οὐχ οἱ πλούσιοι — — ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς; In tripartitâ hâc *divitum*, de quorum iniquitate Christi fidentibus conquerendum esset, reprehensione ante omnia partium animadvertatur *gradatio*. Non solum enim universe durum *contra eos dominium exercebant* 1). Non solum, lites iis intendentes, obtortis veluti collis *ad tribunalia eos trahebant*. Verum, quae omnium gravissima iis illata erat ignominia, quod longe sanctissimum illis erat, Christi nomen conviciis proscindere non erubescebant.

Multis autem in utramque partem disceptatum est, quinam isti fuerint divites, iine *qui Christo nomen dedissent*, an illi *qui ab eo alienos se profiterentur*. Ad *illam*

---

1) In interpretando verbo καταδυναστεύειν WAHLII *Clavem* sequor h. v.

[illegible] *Nonne pauperes De*[illegible] [illegible] Sed [illegible], secundum GE[illegible] [illegible] vocab. [illegible], quod s[illegible] [illegible] per se dictum exist[illegible] [illegible] formâ monente, ver[illegible] [illegible] sacrum, *elegit*. Ex hâc [illegible] accusativi adduntur [illegible] [illegible] *quales* [illegible] sint inopes i[illegible] [illegible] omnes [illegible], qui egeni, sed s[illegible] [illegible] Neque alii *regni heredes* [illegible] Ita jam post *Vulg.* L[illegible] [illegible]

[illegible] — [illegible] [1]. *Regnu*[illegible] [illegible], cui vix aut ne vix q[illegible] [illegible] *synagogâ* sedem concesserant [illegible] [illegible] mirabile summi honoris, [illegible], discrimen atque exspectatio[illegible] [illegible] etiam est, quod *Paullus* [illegible] *heredes Christique coheredes* Illiu[illegible] [illegible] id ejus loci nexui praecl[illegible] [illegible] est, sic nostro hoc Ja[illegible] [illegible] faciam mentionem, nuda re[illegible] Caeterum otium fere hic mihi feci[illegible] raphrasin pro pleniore meâ inter[illegible] vat. Sic igitur enuntiati sententi[illegible] video, declarat ille: „*Nonne* i[illegible] „*simum hujus* mundi sibi elegit [illegible] „*ac virtute christ. adeo*que parti[illegible]

1) Pro [illegible] *Sinait.*, solo, ut [illegible] [illegible]. Sed meliora *illius* vidit [illegible] tuit [illegible].

SECT. 8.

Χρι-

it

co,

λήν,

babile

hîc ad

nonnulli

significari

allatis vete-

interpretatio:

llamini, nomen

ne Jehovae, sic

a super initiandos

s lacerare Judaeis

sphemandum leviores

XXVI. 11." Cff. etiam

tae epistolae tempore ex

recte monent. Cupidius

ni nomine, quo hîc respici

gine constare contenderunt.

T. 8.

dicta audiens quispiam objicere

ne Tu spernendos arbitraris divi-

tuendam sententiam quid afferri possit perspicue exposuit GEBS. *Huic* contra patronos sese dederunt VAN DER PALM. aliique. Constat quidem *Paulli* ex dictis, 1 *Corinth.* VI. 1. 2, omnino cum h. l. conferendis illis, subinde factum esse ut, adversus ipsos adeo *fidei suae socios*, Ethnicis coram judicibus sua defendere jura cogerentur Christiani. Sed saepe eadem eos ac pejora etiam a fidei suae adversariis perpessos esse, non minus certis novimus testimoniis. Mihi igitur, re universe spectatâ, non magis quam CLARISSIO aliisque, necessarium videtur vel *hos* vel *illos* excludere divites. Vel sic tamen ea, de quâ mox, sectio 7, ubi legimus: *οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσι κ. τ. λ.*, vix aut ne vix quidem de aliis hîc cogitare permittit, quam de apertis Domini nostri adversariis [1]). Quicquid sit, magis certe hîc divitum splendor in censum venit, non cum despecto egenorum squalore suspiciendus ille, quam fidei professio, quae, si vel *Christiana* diceretur, Christi certe cum amore nihil commune haberet.

Τὸ *καλὸν ὄνομα — ἐφ' ὑμᾶς.* Multi fuerunt magni

---

1) Novi quidem, ut divites intelligi possint, *qui Christo nomen dederint*, THEIL., GEBS., WIES. aliosque tam tenuiter ac tam *laxe* v. *βλασφημεῖν* explicare, ut nihil sit aliud atque hoc: per vitae impietatem *Judaeorum et Ethnicorum* adversus Christianos *calumnias elicere* et quasi *provocare.* Verum enimvero vetat, si quid video, interpretationis, quam hodie sequimur, *ἀκρίβεια* quominus, nullâ urgente necessitate, eum in modum verbi notio enervetur, quo plane pulcra tollatur, quâ haec dicta cernuntur, *gradutio.* — His jam scriptis, prudentissimo ea confirmata video SCHNECKENBURGERI monito. Qui: „*Ne hoc verbum,*" inquit, „*quo sententia* fiat accommodatior loco Rom. II. 24, *dicere* „*cogas: caussam, occasionem maledicendi praebere, quum contextus ipsos* „*hostiles contra Christianos actus ac mores describat.*"

nominis interpp. qui, praeeunte GROTIO, ad nomen Χριστιανός hîc respici putarent, quo *primum Antiochiae* in Syriâ dictos esse τοὺς μαθητάς diserte narratur *Actt. App.* XI. 26. Quorum vero opinioni ita adstipulatur EICHHORN., in *Introitu*, ut suâ ipse manu quasi telum ad eam convellendam nobis offerat Vir acutissimus. Quid enim? Non honoris, sed ludibrii caussâ Christum profitentibus illud inditum esse nomen fatetur. Quod si verum, ut est verissimum, num Apostolum, quo praesertim loco, qui illos male haberent, divites severe castigat, καλήν, *honorificam*, hanc eorum ignominiam vocâsse probabile censebimus? — Sane non multo meliore jure hîc ad *Christiani* nomen respici putant, quam quo nonnulli *Essenos* vel *Nazarenos* vel nescio quos alios significari contendunt. Unice vera est, quam disertis allatis veterum dictis confirmat, SCHNECKENBURGERI interpretatio: „*Nomen supra vos recitatum, sc. quo appellamini, nomen* „Χριστοῦ. *Sicut Judaei in circumcisione Jehovae*, *sic* „*Christiani in baptismo Christi nomen super initiandos* „*invocabant. Nomen Christi conviciis lacerare Judaeis* „*infestis solemne erat*, *quin ad blasphemandum leviores* „*Christianorum impellebant*, Actt. XXVI. 11." Cff. etiam DE-WETT. et WIES., qui de conscriptae epistolae tempore ex hoc quidem loco nihil effici posse recte monent. Cupidius igitur, quam verius, ex *Christiani* nomine, quo hîc respici putabant, de seriore illius origine constare contenderunt.

SECT. 8.

Proxime praecedentia dicta audiens quispiam objicere forsitan poterat: „*Adeone Tu spernendos arbitraris divi-*

„*tes?* Quam igitur objectionem ut diluat, jam a singularibus ad generaliora progressus Apostolus, quomodo et erga egenos se gerere Christianos oporteret commonstrat et erga opulentos. Neutros enim contemnere licebat, utrosque potius sui instar amare unumquemque decebat. Quem praecedentium ac sequentium nexum esse recte jam vidit, quem laudat GEBS., CORN. à LAPIDE.

Βασιλικόν. Alii aliter explicant [1]). Recte eos refutat MORUS, qui *regiam* amoris hanc legem putârant, quippe quae a *Christo Rege* lata esset: eodem enim jure multae aliae, quae eundem auctorem habent Dominum, ita nuncupari poterant leges. Quamquam nostrum h. l. veteribus ansam dedisse Christianis vere idem monet MORUS, ut βασιλικήν, a *Christo Rege* praescriptam, Illius vocarent religionem. — Βασιλικόν, seriore maxime Graecitate, dicebatur quod suo in genere *praestans* erat atque *eximium*. Quod luculenter ex pluribus veterum apparet, quum Graecorum tum Latinorum, dictis, quos hîc contulit THEILIUS. Quibus in eorum locis imprimis attendatur CIC. *de Officiis*, I. 12. „*Regalis sane et digna* „*Aeacidarum genere sententia.*" Hic igitur νόμος βασιλικός ea est lex, *quae praecipuam dignitatem habet et auctoritatem*, quam igitur haud inficete *legum reginam* vocavit KNAPP.

Scriptum exstat praeceptum *Levit.* XIX. 18. *Jacobus* autem, ubi *Christi* lex laudari poterat, ut *Judaeis* etiam prodesset, *Veteris* Foed. auctoritatem urgere mavult: dicit

---

1) Quam diversas easque ex parte miras hîc vias inierint interpp., accurate recenset HUTH., eam ipse secutus, quae nobis etiam unice recta videtur.

enim *κατὰ τὴν γραφήν*. Multi quidem, in quibus GEBS., *Levitici* locum de solis agere *Israël.* statuerunt. Quos vero accurate refutat THEILIUS, hoc imprimis argumento usus, quod *humanitatem*, quâ prosequendus esset הַגֵּר, *alienigena*, diserte contexta loci commendet oratio.

SECT. 9.

Προσωποληπτεῖτε. Quod solus omnium veterum hocce verbo utitur Auctor, id sibi creâsse videtur, quo clarius hîc ad *προσωποληψίας*, sect. 1 et deinceps reprehensas, respici eluceret. Has inter enim et modo antea commendatum proximi amorem quanta et quam manifesta intercedit *disjunctio!* Nam *amor* ille sine discrimine *omnes* complectitur; *partium studium* istud *nonnullos* nec paucos eos hinc excipit suoque excludit arbitratu.

Ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε. Non contemnenda THEILII animadversio, gravius fere hoc esse, quam *ἁμαρτίαν ποιεῖτε*, *ἁμαρτάνετε*.

Ἐλεγχόμενοι, *dum (quia) convincimini.* Sic hoc accipiendum esse *participium*, THEILIO consentiente et HUTHERO, monent WIN. et BUTTMANNUS [1]).

SECT. 10. 11.

Videas, quam apte et quam opportune a singularis alicujus vitii reprehensione ad generaliora monenda progrediatur Auctor. Iis enim hîc graviter occurrit, qui, quod facile fieri poterat, objicerent: „*Enimvero, dum-*

---

1) *Ille* vid. p. 315. 316, *hic* p. 263.

„modo caeteroquin legi pareamus divinae, hoc quidem levio- „ris est ac nullius fere momenti, quod tetigisti, partium „studium."

Pro futuris Indicativi τηρήσει, πταίσει B. C ac *Sinait.* in *Conjunct.* legunt τηρήσῃ et πταίσῃ. Ad quos posteriore loco accedit A. Quae quidem variantes TISCHENDORFIO eum in modum placuerunt, ut in quatuor deinceps utramque admitteret editiones. Receptae autem lectionis, pro quâ utroque loco aut omnes stant aut tantum non omnes minusculi, testimonia inique extenuat HUTHERUS. Quem vero errare merito jam monuit REICH., qui quam exigua hîc sit codicis A, minime sibi constantis, auctoritas luculenter ostendit. Nec profecto magis honorifice de *Sinait.* censeri potest, qui ita fluctuat, ut mox s. 11, pro μοιχεύσῃς, solito sibi Itacismo scribat μοιχεύσις, at recte ibidem conservet φονεύσῃς. Quid quod s. 16 initio solus omnium, quantum novimus, pro εἴπῃ habet εἴπει. Atque universe nullâ in caussâ Alexandrinorum illorum codicum, quamvis antiquorum, minor est auctoritas, quam in *vocalium* et *diphthongorum* distinctione ac pronuntiatione. Ubi dictu difficile est, quanta eorum socordia sit et inconstantia. Caeterum vulgatam recte adversus SCHULT. et FRITZSCH. defendit THEILIUS, adversus TISCH. REICHIUS. Librariis autem nimis audax forsitan visum est dictum, *futuro* tempore enuntiatum, quo ponere iis videretur Ap. revera nonnullos *futuros esse,* qui universâ ex lege unum solum negligerent praeceptum. Sed sufficit ex *aurium* errore utramque derivare, quam male in textum recepit TISCH., lectionem.

Ἐν ἑνί multi de memorato singulatim explicant *amoris* praecepto; ut qui caeteris quidem omnibus obedierit

praeceptis, hujus unius vero immemor fuerit, omnia violâsse censeatur. Enimvero, si hoc sibi voluisset Ap., recte monente GEBS., disertius ac magis definite fuisset *amorem* significaturus. Ne dicam proximam sect. 11 non denuo generale illud, sed potius bina tangere praecepta singularia.

Ὅλον τὸν νόμον i. e., *unâ solum exceptâ, caeteras omnes legis partes.* Familiarius dictum, non ad latum unguem resecandum. Vid SCHNECK.

Caeterum paradoxum hocce dictum, Judaeorum usu tritum, aliquod continet *proverbium.* Non ita explicandum ac si *fur*, qui simul caedem commiserit, non gravius delinquat, quam qui in *furto* committendo acquiescat. Ac de eo potius dicitur, qui, deliberato animi consilio, uni alicui renitatur praecepto, quam de eo, qui aliquando subitâ animi commotione abreptus, in illud ipsum impingat. — Jam vero, his praemonitis, ex sect. proximâ 11 gravissimi dicti petenda est explicatio. Unus idemque omnium legum divinarum auctor est *Legislator.* Itaque et arctissime connexae sunt omnes et eâdem cernuntur sanctitate. Quocirca ejusdem veneratio Legislatoris ut omnibus iis pari obsequio obediamus nos impellere debet. Cui hoc consequens est, ut qui obstinato animo unum contemserit legis praeceptum, haud secus *venerationis*, totius illius Auctori debitae, obliviscatur, quam qui omnes ejus partes violaverit. Nullum omnino praeceptum, eâ, quâ par erat, in summum ejus Auctorem pietate sibi colendum curat. Rectissime igitur ad h. l. DE-WETT. id dicti fundamentum esse monet, quod *una* sint cuncta praecepta, et quod ad *fontem* attinet, i. e. Auctorem, et quoad *animi sensum*, qui, si pius nobis inest, nullum

temere spernere mandatum permittet. Prae caeteris hîc CLARISSIUS consulatur et SALVIANI apud SCHNECKENB. monita.

Ὁ γὰρ εἰπὼν — — παραβάτης νόμου. Minime nobis audiendus SCHULT., qui spuriam totam hanc esse sect. 11 multis demonstrare studet. Nec magis sequendus TISCH., qui pro *futuris* μοιχεύσεις et φονεύσεις, et olim et recentissimâ denuo editione, constanter *praesentia* ponit μοιχεύεις et φονεύεις. Quamquam vulgatam sine ullâ dubitatione GRIESB. aliique retinuerant. Ac fortasse ne ipse quidem TISCHEND., quo veri ducitur amore, nunc in sententiâ permanebit, ubi dilectissimum suum Cod. *Sinait.* a paucis illis Alexandrinis, qui *praesentia* praeferunt, diversum hîc abire animadverterit ac *futura* tueri. Quicquid sit, ita receptae patrocinium egit REICH., ut nobis quidem illius caussam plane probaverit.

De part. *negantis* usu in inciso εἰ δὲ οὐ μοιχ. subtiliter disputat WINER. [1]).

SECT. 12. 13.

Quae praecesserant monita de non postponendis egenis nec ita discerpendis unius divinae legis partibus, ut eorum aliis te teneri putes, aliis non item; haec igitur monita apposita nunc praeclarum hoc excipit et confirmat praeceptum generale. Ubi tamen mox *misericordiam* singulatim attingi, nemini mirum videbitur, superiora humanitatem erga *inopes* studiose commendâsse reputanti.

1) P. 425.

Οὕτως [1]) — ποιεῖτε. Sancte quidem *agendi* officium per se jam pie *loquendi* complectitur. Sed *hoc* etiam diserte memorat, et contraria *dicta* respiciens, de quibus sect. 3, et *linguae* vitia animo praecipiens, de quibus postmodum, Cap. III, acturus erat Auctor.

Διὰ νόμου ἐλευθερίας. *Libertatis lex* norma vocatur, quâ cultorum suorum dicta omnia et facta regenda curaverat J. C.; quippe quâ ex molesto cerimoniarum jugo, parentum ipsorumque humeris imposito, *in libertatem essent vindicati.* Sed eadem tamen *lex* habenda erat nec salutaris solum institutio; atque ejusmodi adeo lex, quae judicii, olim de singulis iis exercendi, moderatrix futura esset. — Quo certius autem de consensu *Jacobum* inter et *Paullum* constet, hujus effatum attendatur, *Rom.* II. 12^{b}; ubi etiam ipse de iis agens, qui ἐν νόμῳ peccaverant, διὰ νόμου κριθήσονται, edicit.

Ἀνίλεως (sic enim habet Recepta) diversâ valde ratione a codd. scriptum deprehenditur, a pluribus, nominatim ab A. B. C, ἀνέλεος. Quam posteriorem vocis formam, a GRIESB. non plane repudiatam illam, praetulerunt MILL., THEIL., WIN. [2]). Quamquam hic miram eam vocat Graecisque inauditam. Eandem autem, praeeunte LACHM., et olim et nuper denuo in textum recepit TISCH. Incertiore autem in caussâ haud improbabile mihi jam olim visum est ἀνέλεος scripsisse librarios, quo majore soni similitudine et altera et ultima syllaba cum

---

1) Sibi hic non constans *Sinait.* eâdem hâcce sect. ante conson. modo scribit οὔτω, modo οὕτως. Melius sibi constans, utroque loco productiorem praefert TISCH. scripturam.

2) P. 91 med.

subst. ἔλεος conjungeretur, bis eâdem hâc in sect. recurrente. Nulla certe idonea est caussa, cur, codicum auctoritate, qui in vocalium scriptione suo ludunt arbitratu, *Graecis* inauditam in textum inculcemus formam.

Eleganter autem hîc ac graviter ut persona informatur ἡ Κρίσις, quae illi, qui non misericordem sese praestiterit ipse, non parcitura sit nec illius in gratiam suâ de severitate quicquam remissura. Duplicem judicii tanquam *mensuram* fore statuebant Judaei, alteram הדין, *justitiae*, alteram הרחמים, *misericordiae*, quam vero nemo sibi sperare posset, durus ipse in alios. Sed imprimis J. C. conferenda sunt effata: *Beati misericordes: nam eis tribuetur misericordia.* Item: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem vobis remetietur; Matth.* V. 7. VII. 2ᵇ.

Καὶ κατακαυχᾶται — κρίσεως. Ita quidem Recepta; sed a tot codd. [1]) ac verss. iisque antiquissimis omittitur copula καί, ut procul dubio a librariis, sententiam fulcire arctiusque connectere volentibus, adjecta esse censenda sit. Laudandus igitur TISCH., qui probante REICHIO, constanter suis ex editionibus removendam eam curavit. Ex verâ autem SCHNECKENBURGERI animadversione, quam modo laudatus repetiit Criticus Goettingensis, opposita sine interjectâ copulâ sibi jungere amat *Jacobus.*

Pro κατακαυχᾶται plures librarii, *qui sensum ad paraenesin flectere vellent* (REICH.), exhortativâ orationis formâ, scripserunt κατακαυχάσθω. Nec vero dubitandum quin, et illo auctore et quater deinceps TISCH., conservanda nobis sit Recepta. Saepe enim id vel scribae egerunt

1) In quibus est *Sinait.*

vel correctores, ut strictiorem lectorum ad οἰκοδομὴν S. S. dicta componerent.

In altero hoc sect. 13 membro idem fere *affirmando* dicitur, quod in priore *negando*. Est illud reddendum: „*misericordia* beneficorum *gloriatur contra sententiam* ju„dicis damnantem; sive: *misericordes nihil habent quod* „*sibi ab eâ metuant sententiâ* [1].“

Ἔλεος, haud aliter ac Κρίσις, ut persona informatur. Cum *hâc* igitur ita concertat *illa*, ut de certâ, quam reportatura sit, victoriâ nunc jam gloriari possit ac laetari. Dicto, quod poëtico fere colore cernitur, commentarii instar Christi effatum est, *Matth.* XXV. 35. 36.

SECT. 14—26.

Etsi ita novus est hic locus, ut per se ac seorsum considerari possit, arcte tamen cum superioribus connexus apparet. Etenim, primâ jam Cap. sectione, quod probe nobis notandum est, illius veram esse *fidem* negârat Auctor, qui partium studiis abreptus, *amoris* praeceptum negligeret. Quod ipsum *se invicem diligendi* officium disertius etiam, sect. 8, lectorum in memoriam revocârat, ac *misericordiae* fontem esse debere summâ gravitate docuerat. Hinc igitur, quam h. l. consignatam videmus, sponte manabat cohortatio *de fide*, quae, pietatis operibus destituta, inanis esset atque infructuosa. Quid quod sectionis 13 effatum generale sectt. 15 et 16 ad certam aliquam benefaciendi, quae cui oblata sit, opportunitatem accommodari, hebes sit qui non videat. —

1) Sic locum explicat HERINGA E. F. in *Quaestt.*

His cum dictis ESTII imprimis conferatur, quam GEBS. reposuit, de loci cum superioribus nexu disputatio. — Caeterum nequaquam *Paullinae* doctrinae abusum hîc reprehendi, sed communes *Judaeorum* errores, in *Introitu* docuimus.

SECT. 14.

Τί τὸ [1]) ὄφελος κ. τ. λ. Generale hoc enuntiatum, nullius pretii fidem esse, operum vitaeque pietate non fructuosam, in eâdem hâc adhortatione, ter aliquâ cum variatione repetitum exstat, sectt. 14. 17. 26; qui loci secum invicem sunt conferendi. Ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν. Quando sine dubio, recte monente GEBS. aliisque, ad sect. 1 respicitur, hîc quoque ea est intelligenda, quae ibi memorata erat, *fides, quâ gloriosum Dominum nostrum agnoscimus Christum.* De eo autem agi tenendum est, qui *fidem se habere jactet* (λέγῃ), non *qui Deo Christoque re et veritate fidentem se praestat. Veram* enim nominisque honore unice dignam *fidem* Judaei horumque exemplo ex eorum numero non pauci, qui Christum professi erant, cum *rerum divinarum cognitione* confundebant ac pari loco censebant, *quae assensionem quidem sibi adjunctam haberet ac qualemcunque persuasionem, sed nullam*

---

1) Art. τό omittunt B. C* et pauci quidam alii; omiserat, a. 1841, TISCH. Qui vero sequentibus deinceps editionibus eum reddidit ac nuper mutatae nunc sententiae, brevi appositâ notulâ, caussas exposuit. Recte omnino atque assentiente HUTH. Articulum enim retinent A. C.** G. K aliique fere omnes, in quibus *Sinait.* — Τὸ ὄφελος ita subtiliter explicat WINER., p. 99, ut illud sit, *quod exspectari possit* aut *debeat*. emolumentum.

animi pietatem, nullam vitae honestatem. Ista igitur eorum erat πίστις, quam, teste sect. 19, cum *daemonibus* communem habebant, *Deum unum esse credentibus atque horrentibus.*

Ἔργα infra, sect. 17, per metonymiam τῇ πίστει tribuuntur; hîc, praecedente indefinito illo τίς, ipsi tribui videntur homini, cui deesse non debeant. Sunt illa ἔργα, recte monente POTTIO, opera *fidei consentanea*, imprimis *amoris* ac *beneficentiae*, atque universe ejusmodi actiones, quibus *pura* illa cernatur atque *illibata*, quae I. 27 laudata erat, *religio.*

Quod reliquum est, quae locum aperuerat quaestio, τί τὸ ὄφελος; *quid emolumenti affert?* ea per alteram illustratur, quae sectionem claudit, interrogationem negantem: μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν; *num potest opinata* illa fides (notandus enim *articulus* ante πίστις) *eum*, qui illam se habere jactat, *salvum ac sospitem facere?*

SECT. 15—17.

Quae de inani istâ *fidei* specie dicta erant, opportuno hîc exemplo illustrantur, ex praemissâ *misericordiae* commendatione petito. Frater profecto, qui iis caret, quae ad vitam sustentandam requiruntur, parum juvabitur, si blandis tantum ac fausta quaevis apprecantibus eum verbis compellamus. Nec magis ad veram nobis salutem comparandam *fides* proderit, quam ore quidem profiteamur, nullis vero factis testificandam curemus.

Qui pulcri sensu non destitutus est, locum admirabitur, qui, tanquam in scenâ, oculis nostris spectaculum hominis admovet, misero bona quidem verba, quo citius

molesto liberetur interpellatore, appendentis, nec re tamen et facto ei suppetias ferentis. Quo in enuntiato haud exiguam etiam vim dicti repetitio habet *τί τὸ ὄφελος;* quod, ineunte jam sect. 14, praecesserat, hîc autem, exeunte sect. 16, recurrit.

Sectio 15 a binis voculis inchoatur *ἐὰν δέ.* Ubi vero *δέ* a B paucisque aliis, ad quos nuper nobis *Sinait.* accessit, omittitur. Quorum auctoritati tantum tribuerat GRIESB., ut probabiliter proscribendum id putaret. TISCHEND. autem, quod etiam ipse, a. 1841, e textu removerat, in sequentibus deinceps edd. summo jure restituit. Habent enim A. C. G. K. ac plerique caeteri codd. Versionibus autem hujusmodi in re non multum tribuerim. Retinent etiam D. W. et WIES.

Hoc ipsum autem *δέ* male pro *γάρ* positum esse POTT. opinatus est ac GEBS. Est enim, quod recte vidit SCHNECKENB., revera *adversativum* atque eorum oppositum errori, qui vitio nominatam *fidem* istam ad salutem homini comparandam sufficere contenderent.

Ἀδελφὸς ἢ ἀδελφή. Apposita hoc potissimum loco bina haec vocabula, quae, quo arctiore vinculo conjuncti essent lectores, eo sanctius iis incumbere sese invicem juvandi officium admonerent.

Γυμνός, ut alibi saepe, *qui ne maxime quidem necessarium habet vestimentum.*

Λειπόμενοι — τροφῆς, *qui ne tantum quidem habet nutrimentorum, quantum unum in diem vitae sustentandae sufficiat.* Cf. denuo *Matth.* XXV. 35 sq., quo respexisse videtur Auctor. Eadem fere nostri hujus loci manet sententia, sive vocab. *ὦσι*, quod post *λειπόμενοι* Recepta habet, secundum B. C. K. *Sinait.* Copt. Sahid. Syram utramque,

spurium habeas, seu, secundum A. G. et plerosque alios, in textu retineas. *Prior* ratio in omnibus, quas consului, edd. placuit placetque TISCHENDORFIO; cui WIESING. assentitur [1]). Item facit HUTH. Qui vero quod ad complendam periodum perperam adjectum putat, videat ne eâdem aut majore probabilitate ab aliis male repudiatum esse censeri possit, qui post praemissum ὑπάρχωσιν plane superfluum haberent ὦσι. Quod ipsum fortasse GRIESB. aliosque permovit, ut sine dubitatione retinerent. Mihi quidem sub judice lis esse videtur.

Θερμαίνεσθε καὶ χορτάζεσθε [2]). *Optati* formam hoc habere sect. 16 dictum recte plures monuerunt. *Ut satiemini ac calefiatis vobis equidem apprecor.* Hoc unum est, quo te juvare possim, votum.

Tum *Jacobea* plane concinnitas est, quâ ad adject. γυμνοί refertur v. θερμαίνεσθε, ad λειπόμενοι κ. τ. λ. v. χορτάζεσθε. — Proximum tandem enuntiatum: μὴ δῶτε δὲ — σώματος, quod utrumque complecti, ad utrumque referri videtur, recte, ad contextum accommodatâ explicatione, interpretatur BRETSCHN.: *nec vero iis, quae ad corpus tegendum atque alendum necessaria sunt, impertiatis.*

Ἐὰν μὴ ἔχῃ ἔργα. Ita, sect. 17, levi verborum ἔργα ἔχῃ trajectione, optimorum quorumque codd., in quibus etiam est *Sinait.*, auctoritate legendum est. Sic, probante DE-WETT. aliisque, GRIESB. ac constanter TISCHEND.

---

1) WINER. etiam, quum, p. 313, verbo ὑπάρχωσι, tanquam praedicatum, adjungi statuat particip. λειπόμενοι, proscribere videtur ὦσι. Quod sine dubitatione male inculcatum dicit BUTTM., p. 266; qui de constructione consulatur p. 111.

2) Sect. 16 initio pro τίς *Sinait.* scribit τι, cujus tamen errorem sustulit Corrector C.

Quae autem h. l. *opera non habere* dicitur *fides*, eadem infra, bis aut ter, sect. 20 et 26, item, multorum probabili ex sententiâ, vs. 18, χωρὶς τῶν ἔργων audit. — Νεκρά. „*Ejusmodi fides, quam illi jactitant, utique non* „*est fides, sed fidei tantum mortua species atque umbra,* „*cadaver quasi, cui deest vis vitalis.*" His fere verbis usus, recte hujus vocabuli potestatem explicat SCHNECKENB. — Καθ' ἑαυτήν, sine dubio cum νεκρά conjungendum, est *per se, sibi relicta*, ex contextu igitur pietatis et amoris, quibus vim suam exserat ac demonstret, *actionibus destituta.* Ita recte plerique interpp.; MÖLLERUM enim atque AUGUSTIUM, invito usu loquendi, vertentes: *sibi adversans*, accurate refutavit THEILIUS.

SECT. 18.

Ἀλλ' ἐρεῖ τις, σύ κ. τ. λ. Ut a leviore hîc ordiamur monito, WINER. olim quidem, cod. A. secutus, pleniorem hanc praetulerat scripturam: ἀλλά, ἐρεῖ τις, σύ κ. τ. λ.. Verum quae de *craseos* admissae aut omissae caussis disputârat, ultimâ *Gramm.* editione repetenda non duxit; quippe quae nunc, jure, ut videtur, justo argutiora haberet ipse [1]). Nec prioris illius moniti WINERIANI, textum et olim et ultimâ ed. constituens, rationem sibi habendam putavit TISCH.

Verum longe gravior critica est quaestio, cum loci interpretatione conjunctissima illa, quam quae proxime in hâc sect. sequuntur excutiendam nobis objiciunt. Ubi

---

1) Cf. cum *Gramm.* WIN. ed. 5tâ, p. 49, ed. 6ta, p. 40. Cujus ipsius ed. item consul. p. 250.

enim Recepta habet: δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου, multi testes, plane inversâ sententiâ, praepositioni ἐκ praep. χωρίς substituunt. Quae varia lectio quam latum nobis aperiat disputandi campum facile intelligitur. In quo vero ne exspatiemur persuasio nos retinet, quam profiteri non veremur, de loco, qui tot occupatos tenuit Viros doctos ac tam diversas peperit eorum sententias, nihil nos magnopere novae lucis afferre posse. Quocirca in iis breviter ac modeste monendis acquiescemus, quae praesenti hocce cum instituto maxime sunt conjuncta. — Non audiendi sane SEML., HOTT., SCHULT., quorum ratio nec AUGUSTIO nec THEILIO plane displicuisse videtur, qui nodum, quem hîc sibi objici putabant, Gordianum ita dissecandum censuerunt, ut e textu, tanquam male inculcata, verba ejicerentur ἐκ vel χωρὶς τῶν ἔργων σου. Audacissima enim haec conjectura, cui afferendae ansam dedisse OECUMENIUM alii affirmant, negant alii, in nullo certe, quantum novimus, vel codice vel versione antiquâ quicquam habet praesidii. Nec vero tam vehementi locus eget medicinâ; praesertim si supra memoratam amplectimur lectionem, quae receptae praepositioni ἐκ contrariae notionis praep. substituit χωρίς. Est ea optime testata; quippe quam non solum quatuor habeant, qui antiquissimi censentur codd., A. B. C. ac *Sinait.*, sed plures etiam, TISCHENDORFII ex computatione 15 fere, minusculi, in quibus unus alterque bonae admodum est notae. His autem librorum scriptorum testimoniis multum auctoritatis per consensum accedit antiquissimarum quarumque et gravissimarum versionum. Χωρίς enim, non ἐκ, interpretando reddiderunt non solum Arab. Erp., Aeth., Arm., Corb., Vulg.; sed Copt.

etiam, Sahid., et vero, quod imprimis memorandum, Syra utraque. Quae veterum interpretum voces nescio an, hoc quidem loco, plus apud nos valere debeant, quam eorum testimonia codicum, qui, quamvis ab antiquitate commendentur, merito tamen hâc ipsâ in epistolâ a socordiâ notantur ac negligentiâ. Hîc igitur omnino mihi a Viro dissentiendum esse doleo, cujus judicio critico multum tribuo cujusque acutis monitis multa me debere gratus agnosco. Reichius enim, qui ad receptam propugnandam lectionem, nulla non affert argumenta: *„Sigillatim,"* inquit, *„in talibus* (*sensûs reconditi et ambigui „locis*) Versionum *fides vacillat."* Enimvero ita demum nobis, in hâc, quâ utimur, Hermeneutices luce, reconditam esse atque ambiguam dicti sententiam existimo, si mordicus vulgata defendatur praep. ἐκ, non item, si, tot auditis testimoniis, Auctori χωρίς restituimus. Sed obscurum esse locum concedamus; nonne, quo obscurior haberetur, eo magis id egisse interpp. illos probabile est, ut, verbum verbo reddentes, officio non defuisse censerentur? Neque enim hîc, ubi contrariae notionis inter praepp. iis optio facienda erat, id, quod saepe alias, nobis usu venit, ut quid suis ipsi in Mss. legerint incerti haereamus. Longe potiorem igitur quod *variam* illam habeo, quam eam, cui G. K. et plures favent minusculi, *receptam* lectionem, non magis me *codicum* auctoritas movet, quam Syriacae *Peschito* aliarumque, vel aetate vel fide ei suppariium, versionum antiquarum.

Sic igitur constituti loci commoda haec est et facilis explicatio. Apostolus, quum modo antea *destitutam operibus emortuam esse fidem* affirmâsset, hoc jam sibi ab adversario objici sumit: Ἀλλ' ἐρεῖ τις — ἔργα ἔχω: *tu*

fidem habes, opera equidem habeo. Diversa enim duo haec dona sunt ac bona, quorum altero *hic* utatur, altero *ille*, quae igitur nullam habeant conjunctionis necessitatem. En igitur objectionem, illo potissimum tempore probabilem, quo multorum adhuc animos imbutos Pharisaeorum opinio tenebat ac *fermentum*, medio tanquam fidio a *vitâ* agendâ religionis *fidem* sejungentium. Cui vero objectioni, suâ ex mente et personâ, haec reponentem audimus *Jacobum*: Δεῖξόν μοι — χωρὶς τ. ἔ.: *tuam mihi monstra fidem sine operibus*, i. e. nullâ vitae ratione habitâ. Hâc igitur ex postulatione absurdi convincebat, ad absurdum, quod ajunt, adversarium redigebat; quippe cujus a sanâ ratione plane abhorreret commentum. Neque enim ullâ aliâ viâ, quam actionum atque universae vitae pietate *fidei* sinceritas ostendi poterat atque integritas. Quâ de re intime sibi persuasum habens Apostolus, summo tandem jure subjicit: κἀγὼ δείξω — τὴν πίστιν, *ego autem agendo et vivendo fidei me compotem esse tibi probabo.* Id enim omnino fieri poterat ac debebat. Id et Auctor revera demonstrabat, quem merito τὸν δίκαιον cognominabant, et nullum non pium Dei cultorem, Christianum imprimis, indefesso persequi studio decebat.

Ea, quam secutus locum explicare conatus sum, lectio χωρίς non eos solum patronos invenit Criticos atque Interpp., quos magno numero recensuit REICHIUS, quorum nomina hîc repetere nihil attinet [1]); sed alios etiam haud paucos, quorum nonnulli certe mihi memorandi videntur. Nostrâ in patriâ primus olim fuit, quantum

1) *Variae* lectionis patronis JACHMANNI nomen adscribi potest. Magnâ constantiâ quatuor deinceps in edd. eam reposuit TISCH. *Receptae* fautores non alios, quam quos nominavit R., cognitos habeo.

novi, qui copiosius ac de industriâ adversus POTTII objectiones hanc defenderet, quam olim repudiârat ipse, lectionem J. A. LOTZIUS, Theologiae dum vivebat Professor emeritus [1]). Nec magis recepta placuit CLARISSIO ac VAN-DER-PALMIO, de loci structurâ consulendo utrique. Atque eandem, quam illi, sententiam et olim secuti sunt HERINGA E. F. ac VAN-KOOTENIUS et nuper VISSERINGIUS. Ad quorum omnium numerum his ipsis diebus doctis in Germanis accessit J. P. LANGIUS [2]).

Sed a Criticis paullisper ad librarios redeamus minime criticos. Hi igitur, dictum: δεῖξόν μοι — χωρὶς τ. ἔ., quod, cum proximo conjunctum enuntiato, adversarium confutabat, insulse pro Apostoli *praecepto* habentes, in eo expediendo non potuerunt non suspensi haerere. Nec mirum igitur in contrariam illud sententiam iis convertendum visum esse, atque hinc *Elzevirianum* exstitisse ἐκ τ. ἔ. Quamquam fieri etiam potuit ut, quum hoc inter et ultimum sectionis incisum magnam exterioris formae similitudinem intercedere videntes, neutrum autem recte intelligentes, hîc quoque, ut ibi scriptum exstabat, ἐκ. τ. ἔ. scribentes, similius etiam utrumque reddere voluerint [3]).

Disputatio de rei cardine ac praecipuo loci argumento

---

1) LOTZII vid. de h. l. disp. in ephem. Nederland. *Bibliotheek van theol. Letterkunde*, Tom. I. (*Amst.* 1803) p. 409 sqq.; ubi non inepte aberrantium *oculorum* ex vitio vulgatam derivandam ducit, quam antea tuitus erat, in comment. *Over de eenheid der leere van J. C. en de Apostt.* (*Hagae Com.* 1801) p. 172, annot. 74.

2) In op. *Theol. homil. Bibelwerk*, *Th.* XIII, *der Br. des Jak.* von Dr. J. P. LANGE *u.* Dr. J. J. VAN OOSTERZEE.

3) Conff. quae supra de LOTZII conjecturâ monuimus.

ne interrumperetur, nihil dum de *secundo* pronomine σοῦ dixi, quod post ἔργων Recepta habet, nec de *secundo* pron. μοῦ, quod ab eâdem post πίστιν positum sectionem concludit. *Illud* autem omittitur ab A. B. *Sinait.* minuscc. aliquot atque antiquissimis nonnullis verss.; *hoc* abest a B. C. *Sinait.* 1) ac tribus certe minuscc. Quod ita summatim tantum dicimus, ut, qui accuratius rem cognoscere velint, eos ut REICHIUM consulant rogemus. Hoc quidem satis apparet, si a solâ hîc standum putamus *codicum* auctoritate, per eorum fieri dissensionem ut *incertiores, quam dudum*, relinquamur. Antiqui enim si sunt ac graves, qui omittant, alii sunt, nec auctoritate leviores et numero longe majores, qui retineant. Et vero, quod omnino videtur animadvertendum, etsi utrumque, de quo dicimus, pronomen pariter vel conservare vel repudiare stili *Jacobei* jubeat concinnitas, ita tamen hîc sibi non constant A et C, ut *alterum* quidem habeant, *alterum* vero rejiciant. *Versionum* autem, quae nec ipsae magis quam codd. sibi constant, minoris hîc aestimanda sunt suffragia, quam modo antea, ubi binarum contrariae notionis praeposs. alterutra interpretatione erat exprimenda. Neque *ibi*, sicuti *hîc*, iis usu veniebat, ut eâdem universâ manente loci sententiâ, pro suo cujusque sensu, vel liberius vel pressius Auctoris mentem reponere possent.

In tantâ igitur hâc gravissimorum quorumque testium et dissensione et fluctuatione, ab internâ caussae probabilitate commendari potius memorata videntur pronomina,

---

1) Solo erroris comite B, hic ita perverse vocc. δείξω σοι trajicit, ut *verbo* praeponat *pronomen.*

quam in spuriae originis adduci suspicionem. Facillime enim fieri potuit ut perperam voculas vel librarii ejicerent vel codicum emendatores, quae et, proxime praecedentibus iisdem pronomm., *auribus* ingratam parerent, nullo fere spatio iteratam, eorundem sonorum repetitionem, nec, ex illorum quidem sensu, ad loci sententiam complendam atque obsolvendam ponderis quicquam afferrent. Nec minus attente est nobis altera perpendenda probabilis, at perversae *omissionis* caussa atque opportunitas. Tantillo enim intervallo eaedem repetitae ac similes, quae superfluae videbantur, voculae, si describentium auribus ingratae accidebant, majus etiam fortasse eorum *oculis* aberrandi illorum quum exiguitas objiciebat tum similitudo. — Quae quum ita sint GRIESBACHIO aliisque Criticis, probabiliter haec pronomina ejicienda consentibus, meum adjicere calculum nequeo nec TISCHENDORFIUM probare, quatuor deinceps suis ex edd. ea excludentem.

SECT. 19.

Sic opportune Judaeum compellat aut judaïzantem Christianum Ap.: Σὺ *πιστεύεις ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ἐστί* [1]). *Unum* esse Deum, palmare hoc erat doctrinae Mosaicae ac Judaicae decretum ejusque adeo fundamentum. Cf. *Deuteron.* VI. 4. Eorum igitur mos erat ac consuetudo,

---

1) His in ordinandis verbis, quae ex Receptâ reposuimus, valde dissentiunt codd. Fortasse recte fecit TISCHEND., quod, secundum B C aliosque, edidit: ὅτι εἷς ὁ Θεός ἐστιν. Etenim vocab. εἷς, in quo enuntiati nervus est, praeposuisse potius videtur Scriptor elegantissimus, quam postposuisse. *Sinait.* hunc praetulit verborum ordinem: ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεός.

quam memorat *Paullus*, Rom. II. 17, *καυχᾶσαι ἐν Θεῷ*, de cognito a se atque agnito *uno Deo* Jehova *gloriari*. Quocirca hanc potissimum fidem attingit Auctor, ut hinc idem valere de caeteris verae religionis, quae inde manabant, placitis intelligerent lectores ac concluderent. Talem autem hîc significari *fidem* aut fidei potius inanem speciem, luculenter docet, quod mox subjicitur exemplum. Vid. GROT. apud GEBS. et SCHNECKENB. [1]). — Καλῶς ποιεῖς. *Ironiam* dicto inesse sine dubio cum SEML. et SCHNECK. nobis statuendum est. *Praeclare facis!* nudâ nimirum istâ te efferens atque arroganter Ethnicis te praeferens Jehovae agnitione.

Καὶ τὰ δαιμόνια — φρίσσουσι. *Ipsi etiam* unum esse Deum *credunt daemones;* et vel sic tamen, anxio Dei metu, *cohorrescunt*. *Daemoniacos* hîc notari homines WETST. contenderat et SCHULTH. Quos vero recte refutavit GEBS. Sine dubio enim hîc etiam, ex ordinario N. F. usu loquendi, *τὰ δαιμόνια mali genii* intelliguntur. Nec inepte contulerunt interpp. 2 *Petr*. II. 4 et *Jud*. 6. — Solam religionis scientiam, animi quidem assensionem aliquam, nullam vero vitae pietatem adjunctam habentem, nobis beandis Deoque conciliandis plane imparem esse, hoc igitur nullo luculentiore demonstrari poterat exemplo, quam *Daemonum*, quos et miserrimos esse et perditissimos plerisque constabat *Jacobi* lectoribus.

---

1) Quam magnus exsisteret veluti medius fidius *Judaeorum* per *monotheismum* et moralem et historicum, quo ab *Ethnicis* segregarentur, pulcre hic ostendit laud. in *Historiâ*, p. 100 sqq.

SECT. 20—23.

Videas hîc denuo velim, quam animata sit, quem lucidum vitae veluti vigorem passim Apostoli spiret oratio. Quod aliis jam demonstraverat argumentis, nunc *Abrahami*, quo maxime *Patre* gloriabantur Judaei, historiâ comprobat atque ab ipso Deo probatâ pietate. Θέλεις δὲ — κενέ, *visne tu, O homo vane!* qui tibimet ipse male blandiris, penitius etiam atque omnium illustrissimo exemplo quae jam docere incepi *cognoscere* et probata videre? En paraphrasin, gravissimae compellationis non vim quidem plane reponentem, sed sententiam tamen quodammodo exponentem. Γνῶναι eam hîc habere, quam indicavi, emphasin praecedentium ostendit collatio, quae eâdem jam γνώσει lectores imbuere inceperant. Κενόν autem, vulgo *stultum*, eum potius, praeeuntibus LUTH., GEBS., SCHNECKENB., dictum puto, *qui vanâ suâ de praestantiâ opinione inflatus est.*

Penultimo hujus sect. 20 vocabulo νεκρά adjectivum ἀργή substituunt B et C*, item 27 et 29. Sed quorum testimonia obruta plane ac confutata per contraria vidimus suffragia codicum A. C.** G. K. *Sinait.* ac tantum non omnium minuscc. Quum praesertim, vere monente REICHIO ac meâ mihi confirmante experientiâ, pauci illi, qui ἀργή scribunt codd. „*saepe argutas et exquisi-* „*tiores habeant lectiones et, ut* 27 *ac* 29, *multifariam cor-* „*rupti sint.*" — *Verss.* ita hîc dissentiunt, ut majus in iis praesidium *recepta* habeat, quam *varia* lectio. *Illam* certe Syra utraque sequitur ac Copt. Ad quos cum THEOPHYL. et OECUM. ipse accedit ORIGENES. Itaque si cum immensa testium nube, quâ νεκρά defenditur, eorum pau-

citatem comparamus, qui ἀργή praeferunt, haec nullam fere auctoritatem habere dicenda est. Quae si numero plures ac fide certiores haberet testes, TISCHENDORFIO consentirem, ex sectt. 17 et 26 male ductam esse vulgatam existimanti. Nunc vero ut res se habet, in lectione ἀργή nihil video nisi argutorum quorumdam *lusum* Alexandrinorum, χωρὶς τῶν ἔργων ἀργή i. e. ἀεργή scribentium, ut *operibus destitutam* fidem *sine operibus* esse significaretur. Qui lusus est illorum dignior levitate, quam Apostoli gravitate. Praestat igitur, secundum GRIESBACHIUM, REICHIUM [1]) aliosque Criticos, νεκρά retinere, quam ei, longe plerisque refragantibus testibus, ἀργή substituere.

Ubi, sect. deinceps 21, Abrahami praedicatur pietas, non ita accipiendum est interrogans enuntiatum οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη; quasi sola, per se spectata, hîc in censum venirent *opera*. Mox enim, s. 22, cum iis ita *concurrere debuisse fidem* diserte affirmatur, ut per *illa* demum *haec* consummaretur. Auctoris igitur ex mente illustre illud Patriarchae factum *fidei* Deo habitae fructus erat ac declaratio.

Ἀνενέγκας — θυσιαστήριον; Pietatis ac magnanimitatis, quam prodiderat ille, vis ac praestantia graphice hîc picta exstat, ipsis fere repositis historiae sacrae verbis, ubi, *Genes.* XXII. 9^b, haec narrantur: „*Altare construxit Abr. lignaque ordinavit filiumque Isaacum ligavit* et

1) Ad probabilem inveniendam variae lect. ἀργή originem, hujus quodammodo mihi viam monstravit monitum, adjectivum illud, cum χωρὶς τῶν ἔργων conjunctum eique appositum, „*ingratam efficere tautologiam, quoniam ἀργή ex etymo est ἀεργή*, sine operibus, non operosa." Hoc ut suum cuique quantumpote tribuam dictum puta.

„altari imposuit *super lignis.*" Ita enim vertenda sunt ultima: non, ut nonnulli minus accurate ad h. l. fecerunt, *immolavit.* — Recte hîc SCHNECKENB.: *„Si verba „tantum respicis,"* inquit, *„Jacobi haec doctrina Paullinae „aperte repugnat; sed Jacobus non fidei ipsi, sed fidei, „qualem illi extollebant, τὰ ἔργα opponit, ἔργα πίστεως."*

Quae sequitur, sectio 22, et in vulgaribus edd. et apud WETST., GRIESB., SCHOLZ. ac LACHM., minus recte per *signum interrogandi* terminatur. Omnino enim satius videtur, illo sublato signo, secundum LUTH., Vulg., KNAPP., GEBS., quorum exemplum recte secutus est TISCH., infimae solum potestatis notâ (*commate*) hunc a proximo distinguere locum. Nam uno tenore hâc sectione inchoata periodus sequente progreditur et terminatur 23^{a}, quâ exeunte plane incommodum *interrogandi* illud *signum* esset. — Hic igitur locus, praecedentis hocce consectarium, *fidem* inter et *obedientiam*, quarum utrâque nobis est Deus venerandus, quae necessitudo sit ac consensio, memoratâ ex historiâ luculenter efficit ac concludit.

Βλέπεις — συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ [1]). Pulcram hanc paronomasiam ita quodammodo Latine reponere possumus: *Vides una illius cum operibus operatam esse fidem.* Συνέργει recte ab HESYCHIO explicatur per v. βοηθεῖ. *Fides* igitur, quam Dei habebat promissis, *ejus cum operibus* ita veluti *concurrebat*, ut ad praeclara quaeque pietatis edenda documenta eum adjuvaret, vires illi ac voluntatem impertiret. — Τὰ ἔργα αὐτοῦ significanter dicuntur *insignia illa ac celebrata Patriarchae opera.*

---

1) Solo fere comite A, pro συνήργει cod. *Sinait.* scribit συνέργει, sed unice veram lect. receptam restituit Corrector.

Ἐτελειώθη, *consummata est et ad perfectionem adducta. „Fides theoretica imperfecta est, donec accedat ἡ πρᾶξις, „consummatio δι' ἔργων. Ipsis in factis nihil est nisi fidei „demonstratio; sicuti ἡ ἁμαρτία, supra, Jac.* I. 15, *est ἡ ἐπι„θυμία ἀποτελεσθεῖσα."* Ita fere SCHNECK., POTT., DE-WETT.

Καὶ ἐπληρώθη κ. τ. λ. Continuatâ hâc, sect. 23, periodo locus laudatur notissimus *Genes.* XV. 6. Quem ipsum quum longe alio consilio suam ad disputationem *Paullus* adhibeat, *Rom.* IV. 3, diversam quidem utrumque Apostolum secutum esse docendi viam ac rationem nec contrariam tamen utriusque fuisse sententiam, hoc in *Introitu* probare conati sumus. Quod autem *Dei amicum vocatum esse Abrah.* subjicit Apostolus, non eo facit consilio, quod suspicatur SCHNECK., ut δικαιώσεως illius declaret notionem, sed potius ut doceat propter hanc etiam *fidem*, pie *factis* demonstratam eam, honorificum hoc Patriarchae nomen obtigisse.

SECT. 24.

Quod post ὁρᾶτε Recepta habet adverb. τοίνυν, id omittunt A. B. C, *Sinait.* Syra utraque atque alii bonae notae testes. Quocirca, praeeuntibus GRIESB., HOTTING. aliisque, recte proscripsit TISCH. Neque enim ulla nobis suppetit caussa probabilis, cur voculam, si germana esset, librarii expunxerint aut correctores.

Οὐκ ἐκ πίστεως μόνον δικαιοῦσθαι hominem, hoc vel maxime *Paullinae* videtur adversari doctrinae. Sed *videtur* tantum. Neque enim dubitandum quin eam, quam hîc denuo νεκρὰν vocat *Jacobus fidem*, non magis honorifico nomine dicturus fuisset *Paullus*, quippe quae nul-

lam vel Dei venerationem pareret vel vitae pietatem vel fratrum amorem.

Tandem monendum nobis restat, post hanc sectionem tollendum esse, quod multi illâ exeunte posuerunt, *signum interrogandi*.

SECT. 25.

Ἡ πόρνη. *Jos.* II. 1, unde ductus est h. l., quae hîc memoratur, Rachaba diserte vocatur אִשָּׁה זוֹנָה, *mulier meretrix*, quod ipsissimum est Graecum πόρνη. Neque igitur constans utriusque linguae permittere videtur usus, ut, CHRYSOSTOMUM, CLARISSIUM aliosque secuti, *cauponariae* notionem voci tribuamus. Etiamsi enim cauponam eam exercuisse admodum est probabile, minime tamen hinc effici potest hoc ab opificio et ab Historico eam nuncupatam esse et a *Jacobo* et, ubi eodem appellatur nomine non honorifico, *Hebr.* XI. 31. Nec magis tamen eos audiendos puto, qui eo adhuc tempore, quo Josuae nuntios hospitio reciperet, corpore quaestum eam fecisse pro certo habent et explorato. Nihil enim obstat quominus, secundum GROTIUM, πόρνην dictam mulierem existimemus, non quod adhuc moribus impudica esset, sed potius quod olim fuisset. Saepe enim ex vitâ ante actâ aut ex qualicunque, quâ olim usi essent, conditione cognominari homines novimus omnes. Cujus rei quum alia non desint exempla, tum luculentissimum est documentum Σίμων ὁ λεπρός, *Matth.* XXVI. 6 et *Marc.* XIV. 3, cui, si adhuc leprâ laborâsset, hospitibus convivium parare non licuisset.

Ἑτέρᾳ ὁδῷ ἐκβαλοῦσα, *aliâ*, quam quâ venerant quae-

que redituris periculosa foret, viâ eos *emittens* hospites. Saepe enim in relativis hujusmodi vocibus id, ad quod referuntur, ex contextu aut etiam, quod hîc nobis usu venit, ex aliunde satis cognitâ re aut historiâ subaudiendum est ac supplendum.

Ultimum hoc monitum SCHNECKENBURGERO debeo, a me tamen auctum quodammodo atque accuratius definitum illud. Verum longe graviora sunt, quae ad Apostoli, hanc memorantis historiam, plenius perspiciendam sapientiam ex egregii illius interpretis commentario discere possumus. Quorum igitur summam aliquam meâ reponere juvat oratione. Nulla apud Hebraeos et a naturae dotibus et a gratiae donis divinitus impertitis nobilior mulier habebatur, quam *Rachaba*, cujus neminem offendebat vitae ante actae turpitudo. Rabbini adeo quatuor prae caeteris laudare consueverant speciosas mulieres, Saram, Abigaëlem, Estheram et vero quartam Rachabam. Hanc singulatim in divinae misericordiae, quae poenitentes erigat, exemplum afferre Judaeis placebat. Nec mirum igitur epistolam *ad Hebraeos* etiam l. l. [1]), eâdem servatorum ab illâ speculatorum memoratâ historiâ, ejus *fidem* praedicâsse. Quum praesertim Hebraeorum doctoribus, gravem aliquam sententiam exemplis probare volentibus, hominum ex vitâ ductis, non *viri* solum, sed insignes item *mulieres* posterorum in memoriam revocandae viderentur.

---

1) Hujus loci, *Hebr.* XI. 31, de quo consulendus ibi est BLEEKIUS, *Paullinismum* nostro hoc Jacobi dicto refutari contendit DE-WETTIUS, adversus quem vero rectissime ad *Jacobeum* h. l. disputavit WIESINGER. Caeterum de Rachabâ ejusque historiâ consulatur doct. J. P. STRICKER, in op. *Bijbelsch Woordenb. voor het Christ. gezin*, III. 165 sq.

Tandem, ne absurde fecisse videatur *Jacobus*, qui illustrissimum post Patriarcham hanc laudaret Rachabam, CALVINI nobis perpendendum est monitum. Qui: „*consulto*," inquit, „*duas personas tam diversas inter* „*se commisit*, *quo evidentius monstraret nullum unquam*, „*cujuscunque esset vel conditionis vel gentis vel ordinis*, „*fuisse absque bonis operibus inter justos et fideles ha-* „*bitum.*" — Hinc igitur apparet sapientissimum nostrum Auctorem, qui *Judaeis* scriptum destinaret ac *Judaeo-Christianis*, nullis, quam agebat, caussam magis idoneis ac gravioribus probare potuisse argumentis historicis, quam conjunctim memoratis, quorum nobis mira videri possit copulatio, Patriarchae ac Rachabae exemplis.

SECT. 26.

Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα κ. τ. λ. De omisso ante *πνεύματος*, sine sententiae detrimento atque elegantiae sine neglectu, *articulo τοῦ* recte monuit WINERUS [1]).

Praeclarae autem disputationis disertissima haec est clausula dicenda, quâ sectt. 17 et 20 monita aptissimâ confirmantur atque amplificantur comparatione; quam quo jure *satis duram* dixerit idem, quem proxime praecedentia docte illustrantem audivimus, SCHNECKENBURGERUS me non videre fateor.

1) P. 105. — Ante *ἔργων* vero quod articulum omittunt B. *Sinait.* ac 69, solita haec eorum codd. est socordia. Quâ neque alii Critici neque TISCH. ad textum corrumpendum se permoveri passi sunt.

CAPUT TERTIUM.

Si de hujus Capitis cum praecedente quaeritur connexione; modo antea perniciosam eorum opinionem confutârat Apostolus, qui animi fidem ac persuasionem a vitae actionibus temere sejungentes, ejusdem adeo hominis *mentem* ac *corpus* in nefastum committerent certamen. Quae ipsa disputatio sponte in cogitationem illorum eum adducebat vitio creatorum doctorum, qui, istiusmodi aut propugnantes aut certe excusantes placita, popularium se commendarent superstitioni atque impietati. Quorum igitur arrogantia ac sophismata ne errorum ac stultae loquacitatis in societatem epistolae pertraheret lectores, opportune ac prudenter eos adhortandos curabat Apostolus, ne temere ac sine justâ vocatione *doctores* sese ferrent aut inconsiderata sua de rebus divinis decreta venditarent. Unde quam facilis et quam utilis ad generaliora de linguae usu atque abusu monita tradenda, transitus esset ac progressio, nemo est qui non videat. Conferantur quae, antiquis ex scholiis, de utriusque Cap. adhortationum cohaerentiâ utiliter monuit GEBS.

SECT. 1.

Μὴ — γίνεσθε. Quae ad verbum sonant: *ne multi fiatis doctores*, haec, argutâ enuntiata brevitate, paullo liberius nec minus accurate explicari possunt: *ne multi sint inter vos, qui doctores se ferant aut jactent.* — Γίνεσθε paullo plus esse videtur, quam ἦτε, *ne fiatis*,

i. e. ne vobismet ipsi temere docendi provinciam sumatis atque arrogetis.

Διδάσκαλοι satis certo *doctores* esse videntur, *Judaeorum in synagogis* aut *Christianorum in consessibus* verba facientes. Non magis enim probabilis CALVINI est sententia, *Episcopos* intelligentis, quam CARPZOVII, de *judicibus* aut *cavillatoribus* vocem explicantis. Quamquam VAN-DER-PALM. etiam non proprie dictos significari putat *doctores*, sed ejusmodi potius *cavillatores*, qui nullis non de rebus sua arroganter interponerent judicia; nam ita demum idoneam aliquam ait hoc Cap. dictorum exsistere compositionem. Verum hoc laxioris interpretationis remedio nec indiget nec, si vel indigeret, aptior eo adhibito redderetur orationis apostolicae cohaerentia.

Εἰδότες — ληψόμεθα, *quum* per male gestam illam provinciam *fore sciamus ut majus* (i. e. severius) *in nos contrahamus* Dei *judicium*. Ita enim dicti complenda est brevitas. Ubi, eodem in verbo ληψόμεθα et Modi *Medii* vis est animadvertenda et vero comitas Apostoli atque humanitas, ita *primâ personâ plur.* usi, ut semet etiam ipsum admonitione complecteretur. Male aut nimis tenuiter certe nonnulli haec explicant: *Minus recte si docuerimus, penitius nostram in agendi rationem inquiret Deus.*

Nostro hoc cum loco omnino alter ille comparandus est, Cap. I. 19, ubi *promtiores* ut essent *ad audiendum*, *quam ad loquendum* lectores erat adhortatus. — Incredibili quâdam *doctores* agendi cupiditate passim flagrabant Judaei. Quem *docendi* pruritum atque ambitionem quum eorum haud pauci ex synagogis Christianorum in coetus attulissent; quam acres inde lites, quam acerba jurgia nascente in ecclesiâ exstiterint vulgo notum est. Quo

majoris nobis Domini facienda est sapientia, ea graviter monentis, quae *Matth.* XXIII. 7. 8 relata legimus. Nec justo severior *Paullina* Judaeorum hoc nomine reprehensio est, *Rom.* II. 17 sqq. Multa, quae huc pertinent, post BEDAM apud GEBS. utiliter monuerunt SCHNECKENB. et CLARISS.

SECT. 2.

Πολλὰ γὰρ πταίομεν κ. τ. λ. Etsi abruptum quodammodo atque inexspectatum hoc nobis accidit enuntiatum, non difficulter tamen ejus nexus ac consilium hâc declarari potest paraphrasi: „Quum, in omnibus vitae rerumque adjunctis, *delinquendi* periculo simus obnoxii; tum nullâ re facilius in peccatum incidimus, quam *loquendo*. Quocirca qui *dicendo* nunquam peccat, tam consummatâ sit oportet virtute, ut nullos non, quae objiciantur, vitiorum illecebras vincere possit. Quam praestabilem quum nemo sese habere debeat, ne vestrum quisquam sit, qui, quamvis deficientibus animi dotibus, quamvis deficiente loci temporisque opportunitate, ita sibi placeat, ut sociis oratorem se venditet." — Sic accepta, optime Scriptoris dicta cohaerebunt. Nihil autem dici poterat, quod honestum ambitionis sensum lectorum in animis magis excitaret, quam id, quo terminatur enuntiatum: „Hoc si assecutus fueris ut linguam recte coerceas, ἀνὴρ τέλειος eris."

Ἐν λόγῳ, *dicendo*, *dum dicit*. Λόγον nominans et ὅλον τὸ σῶμα, hîc jam *linguae* s. *oris* cum caeteris corporis humani membris animo suo volvisse videtur Auctor. Mox enim, sectt. 3 et 5, et *os* et *linguam* diserte memoratu-

rus erat. Hîc igitur hominem ita *loquendo* non peccantem nobis repraesentat, ut eâ ipsâ, quâ utatur, facultate, totum suum corpus *compescere* se posse demonstret. Τὸ σῶμα enim GROTIUM miror post eumque AUGUST., SCHULT. aliosque explicuisse *ecclesiam*. Neque enim unquam, quantum novi, ita absolute positum hoc nomen illam significat. Et vero proximâ sect. ipsissimum hoc proprio sensu recurrit ὅλον τὸ σῶμα, quod igitur sine dubio *omnes corporis actiones* complectitur. — Quod reliquum est, huic disputationi viam jam paraverat Capitis I sectio 26, quae, *si quis linguam suam non frenaret, illius vanam esse religionem* docuerat.

SECT. 3.

Pro eâ, quae vulgato in textu sectionem aperit, voce ἰδού codex C cum aliis fere 40, diserte assentiente THEOPHYL., synonymum praebet ἴδε. Quod, quum nullam aut vix ullam auctoritatem recepta haberet, non pauci recentiores praetulerunt Critici, dubitanter in textum recepit GRIESB. Sed gravior quaestio est ac difficilior, utrum reponendum sit ἴδε illud, an vero, *conditionatum* ut exsistat enuntiatum, legendum εἰ δέ, quod habent aut vertendo exprimunt A. B. G. K. pluresque quam viginti minusculi; tum Italae cod. antiquissimus Corbej., Vulg., Copt. aliaeque verss. Ne scholl. memorem et OECUMEN. Atque ita constanter edendum curavit TISCHEND. Qui quos sibi assentientes habeat Criticos, quos vero ita a se dissentientes, ut praeferant ἴδε [1]), accurate recensuit

1) In his recentissimi sunt interpp. Nederl. VAN-DER-PALM. et VISSERING.

REICHIUS, qui pro tuendâ TISCHENDORFII lectione plura attulit, quae mihi brevioribus defungendi copiam faciant. Quamquam acutissimo huic Critico Goettingensi, *inconsequentem* h. l. orationem habenti, meum adjicere non possum calculum.

Quid ipse scripserit Auctor eo difficilior est quaestio, quoniam antiquissimi codd. Alexandrini nusquam minus certum edunt testimonium, quam ubi de distinguendo agitur sono diphthongi *ει* et vocalis *ι* [1]). Utrumque enim sonum quam saepe confundant in vulgus notum est. Vel sic tamen a probabilitate commendari videtur conditionatum *εἰ δέ*. In eo enim scribendo vel interpretando plurimi consentiunt, qui in plerisque incertae lectionis locis plane dissentiunt, diversi temporis atque originis testes gravissimi. Caeterorum autem illud est divortium, ut ex contrariis eorum suffragiis nec certum nec probabile ferri possit judicium. Ac facile fieri potuit ut ea, quae nobis praeplacet, lectio imperitis displicuerit librariis, quod quomodo, eâ admissâ, loci structura expedienda esset non viderent. Quae quaestio doctissimos etiam disjunxit nostrae aetatis interpp.

In eâdem hâc sectione, pro vulgatis: *πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν*, TISCHEND. et antea et ultimâ ed. praebuit: *εἰς τὸ πείθεσθαι ἡμῖν αὐτούς*. Praepositioni igitur *πρός* substituit *εἰς* ac bina trajicit vocc. *αὐτοὺς ἡμῖν*. *Prior* illa textûs mutatio, a GRIESB. quidem improbata, a LACHMANNO vero ac WIESING. probata, in solis fere prae-

1) *Sinait.* hic quidem scribit *ειδε*, sed mox pro *πείθεσθαι* habet *πίθεσθαι*. — Quod ante *τῶν ἵππων* solus forsitan inserit *γάρ*, manifestum glossema recte improbat Corrector C.

sidium habet codd. *Sinait.*, B et C, quos temere non raro et negligenter in scribendis ac commutandis, quae synonyma viderentur, *praeverbiis* versatos esse multis apparet exemplis. Neque igitur loco movenda est praep. πρός. — Nec est quod binarum, quas dixi, vocum ordinem invertamus. Codd. enim. A et C, ad quos h. l. tres solum minusculi, non item *Sinait.*, accedunt, saepe perperam verba trajiciunt. Quae verissima est REICHII animadversio [1]).

Εἰ δὲ τῶν ἵππων κ. τ. λ. Suo pro more *praecedenti ex oratione sequentem* quasi *hauriens*, Auctor ex v. χαλιναγωγῆσαι, quo s. 2 usus erat, nunc χαλινῶν, *frenorum*, quibus capistrantur equi, repetit imaginem. — Ita vertendus est locus: *Si equorum oribus frenos adhibemus ut nobis pareant, eo ipso totum etiam eorum corpus agimus.* Eodem autem res redibit, si quis forte genit. τῶν ἵππων cum χαλινούς conjungere malit et mox post στόματα pron. αὐτῶν subaudire. — Certe, utramvis praeferas loci constructionem, *anacoluthi* hîc statuendi nulla est necessitas. — POTTIUS quidem, VAN-DER-PALM. aliique solum id significari existimant, *quod saepe exigua aliqua res magnas moveat.* Verum tanta sectt. inter 2 et 3 similitudo intercedit, ut *hanc illi* illustrandae ac confirmandae sic fere inservire censenda sit: „*Ore* regendo totum regere potest corpus suum homo. Haud aliter enim, solum *equorum os* capistrantes, totum eorum, quamvis magnum ac validum, corpus moderamur."

1) Vid. ejus *Annot. gener.* ante *Comm. Crit.* Vol. III, p. 6 in notâ.

SECT. 4.

Ἰδοὺ, *καὶ τὰ πλοῖα — πηδαλίου*, *ecce*, *naves etiam*, *tam magnae illae*, quam novimus (δεικτικῶς), *quaeque a saevis propelluntur ventis*, *tantulo circumvolvuntur gubernaculo* 1). Recte monente POTTIO, bina comparationis sunt momenta, bina igitur magna, quibus exigui vis imperet gubernaculi, navium magnitudo et ventorum vehementia. Nam ventos etiam quodammodo regit gubernator. Eos enim, qui caeteroquin miseram huc et illuc jactarent navem ac tandem demergerent, huicce navi, cujus cursum moto gubernaculo moderatur, commode propellendae inservire cogit gubernator.

Ὅπου *ἂν — βούληται* 2), *quocunque gubernatoris vult impetus*. Per poeticam fere metonymiam, quae ὁρμή ventis propria est gubernatori tribuitur, eorum impetum ac vehementiam quasi subjuganti. Paullo liberius explicare possis: *quocunque ferat*, *qui a gubernatore definitur*, *navis cursus*.

SECT. 5a.

Οὕτω *καὶ — μεγαλαυχεῖ* 3), *sic etiam*, uti minimum

1) Ubi Recepta, codd. A. G. aliosque secuta, habet σκληρῶν ἀνέμων, quem ordinem GRIESB., HOTT. aliique servârunt, TISCHEND., post B. C. K. *Sinait.* aliosque, utroque trajecto voc., scribit ἀνέμ. σκλ. Nescio an recte. Fieri enim potuit ut vulg. ex studio exsisteret vocalium concursum in vv. ὑπὸ ἀνέμων tollendi.

2) B et *Sinait.*, deleto ἂν, scribunt in Indic. βούλεται. Vulgatam vero recte retinuit TISCH.

3) Ita composito usi verbo, scribunt B. C.** G. K. caeterique, ut videtur, omnes. Paucos igitur sibi assentientes habebit TISCH., qui,

aliquod gubernaculum naves regit ventosque, *lingua exiguum* quidem corporis *est membrum*, *et* vel sic tamen *de magnis gloriatur* aut gloriari potest, quas efficiat, *rebus.* Haec, ni fallor, paraphrasis accurate dicti sententiam reponit. Quo dicto proxime praecedentis imaginis ad praesens Auctoris consilium *accommodationem* contineri, clare docet *καί* et *οὕτω* et vero *gubernaculi* ac *linguae*, cujus utriusque memoratur exiguitas, assimilatio. Καί igitur minime hîc vim habet adversativam. Quod HOTTINGERO placuisse eo magis mirandum est, quum hujus sect. alterâ parte, a verbis inde ἰδοὺ, *ὀλίγον πῦρ κ. τ. λ.*, *ad novam deferri comparationem Apostolum* pulcre viderit doctissimus interpres. Quapropter vulgaribus ab edd. in unam hanc sect. 5 duo conflata esse enuntiata dolendum est, quorum *prius* tam arcte cum praecedentibus copulatum est, quam cum sequentibus *posterius.*

Sed quominus recte locus intelligeretur, perversa etiam obstitit verbi *μεγαλαυχεῖ* interpretatio. BRETSCHNEIDERUM enim *in Lex.* si audimus, significat *impiâ est audaciâ;* si HOTTINGERUM, ERASMI etiam paraphrasin sociam laudantem, *insolenter se jactat;* si THEILIUM, *magna et insolentia verba jactat.* Nec melius HUTHER. aliique in malam partem accipiunt. Nostro enim loco non nisi magnam linguae *efficientiam* indicari, arcta ejus necessitudo demonstrat ac clara conjunctio cum comparatione, sect. 4, a *gubernaculo* ductâ, quod sane navem regendo mali

---

aliter nunc, quam olim fecerat, cum A. C.* bina substituit separata vocc. *μέγαλα αὐχεῖ*. Quam lectionem ut tueatur *usitatissimum* esse dicit compositum illud, quod dissecat ipse, verbum. Enimvero N. F. quidem nullo alio exstat loco.

quid ac noxii patrare censeri non poterat. Praeclare igitur CALV., cui jam OECUM. praeiverat et THEOPHYL.: „*Jacobus*," inquit, „*h. l. non tam ostentationem taxare* „*voluit, quam dicere linguam esse magnarum rerum effec-* „*tricem. Hoc enim membrum priores similitudines prae-* „*senti accommodat instituto. Freno autem et gubernaculo* „*non conveniret inanis jactantia. Magnâ ergo vi pollere* „*linguam significat.*" Consulenda etiam quae recte monuit POTT. Quo certius tibi constet in sequentibus demum noxios ac pestiferos depingi linguae effectus.

SECT. 5[b].

Sect. 5 pars posterior: *ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ κ. τ. λ.* omnino nobis, POTT. et HOTTING. secutis, ad sect. 6 referenda videtur eique conjungenda.

Ecce, exiguus aliquis *ignis quantam incendit silvam!* Hoc sane dictum est ad sequentia, ubi linguam *corruptricem* deformare volebat Auctor, praeparanda iisque quasi viam sternendam aptissimum atque unice accommodatum. Cujus vero ratio plane pervertitur, si, cum *Sinait.*, A**. B. C* paucisque aliis pro *ὀλίγον* legimus *ἡλίκον.* Quae lectio, ut magna aliqua incendatur materia *magnum* requiri *ignem*, dicere cogit Auctorem. Quod, si vel semper verum esset, hîc certe plane inexspectatum nobis accidat necesse est. Vide enim, ne plane dissimilia conjungantur, si *magno* cum igne *minima* conferatur lingua. Suâ certe pulcritudine sic defraudari imaginem rectissime monuit KERNIUS. Quem frustra refutare conantur DE-WETT. et, qui ejus comment. edidit, BRÜCKNERUS. Atque omnino consulendus est GEBSER., cui, probabiliter *ἡλίκον*

illud scripturae vitium esse suspicanti, ex proximo ἡλίκην natum, omnino est assentiendum. De cujusmodi erroribus ita sententiam profitetur WYTTENBACHIUS, Criticorum coryphaeus: *„Est in primis mendorum fons,"* inquit, *„vicinarum vocum similitudo."* Cujusmodi mendorum *tantum se numerum annotâsse* alibi dicit, *qui justi libelli instar sit* [1]). — Num igitur certius testata est varia illa lectio ἡλίκον, quam recepta ὀλίγον? Minime vero: *hanc* enim retinent aut exprimunt A.* C.** G. K., tum omnes minusculi, multae verss. et THEOPHYL. Quorum numero et auctoritate infringi mihi videntur ac longe superari paucorum illorum, qui dissentiunt, testium suffragia. Quae quum ita sint, externa, quae vulgo dicimus, argumenta, cum internis ad receptum tuendum ὀλίγον amice conspirare censenda sunt. Ad cujus caussam adversus TISCHEND., qui quatuor deinceps in edd. ἡλίκον recepit, comprobandam, praeter eos, quos jam laudavi, consulantur REICH. et WIESING. Laudandus etiam VISSERING., qui, a TISCHEND. hîc dissentiens, *suum* se demonstravit.

SECT. 6.

Haud facile dixerim, utrum huic loco, quem impeditum esse consentiunt omnes, plus nebularum abrupta offuderit atque animata Auctoris oratio, an Criticorum

---

1) Vid. WYTTENB. in annot. ad *Eclogas hist.* p. 356 et 450. — Ex scriptore non ita omnibus noto si unum afferre licet exemplum, praeclara RUHNKENII conjectura est, quâ in fragmento apud editum a se RUTILIUM LUPUM (L. B. 1768), p. 3, ubi vulgatur *quoud restituat,* veram reddidit lectionem: *quoad res restituat*, quando vocem *res* prima syllaba verbi *restituat* interceperit.

atque Interpretum, eam vel emendare vel explicare studentium, conatus ac dissensiones vehementissimae. Prima enim haec nobis objicitur quaestio, quid de origine statuendum sit eorum, quae, vulgari ex distinctione, sect. aperiunt, verborum: καὶ [1]) ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. Iis enim CLERICUS, HAMMOND., EICHHORN., KUINOEL., HOTTING., REICHIUS, omnibus glossema contineri putant, quod ab initio, interpretandi dicti gratiâ, margini adscriptum, postea male in textum inculcatum sit; quum praesertim deinceps, a verbo inde οὕτως, comparationis ab *igne* ductae nova sequeretur accommodatio. Haec eorum conjectura est, nec ab antiquioribus nec a WIES. et HUTH. memorata, verum ab HOTTING. imprimis ac REICHIO tanto studio et acumine defensa, quam confutata a GEBS. et POTTIO. Enimvero ejusmodi illa est Virorum doctissimorum suspicio, quae nullo in codice, nullâ in versione, in nullâ antiquae ecclesiae explicatione praesidii quicquam habeat aut adminiculi. Quam igitur ita demum probare poterimus, si tot veteris aevi testes eosque linguâ, studiis, temporibus locisque tam diversos, sic in eundem omnes implicatos esse errorem statuamus, ut non unam alteramve, quae facile irrepere posset, voculam, sed totum aliquod plurium vocabulorum enuntiatum Jacobo, qui nihil horum scripsisset, tribuerent auctori. Sed ponamus, quamvis difficile accidat ad credendum, fieri hoc *potuisse;* neque enim plane negamus. Id summo certe jure requirimus ut, quo graviore auctoritate externâ repudiatur conjectura, eo majore

1) Hanc copulam, quam omiserat *Sinait.* recte restituit memoratus ejus Corrector.

internâ commendetur probabilitate. At tam exigua aut nulla potius ei favet probabilitas, ut acerrimi bini atque acutissimi *glossematis*, quod arripiunt, patroni, hott. et reichius, in ejus origine declarandâ longissime a se invicem recedant, nec difficile igitur sit alterius per dicta alterum refutare. Et vero, quod caussam continet, nulla est, nisi plane fallor, haec verba ejiciendi necessitas, quum, iis retentis, non una pateat locum commode explicandi via ac ratio.

Sed longe minus certa adverbii *οὕτως* est origo, quod continuo post illa, de quibus diximus, verba ante *ἡ γλῶσσα* habet Recepta. Hoc enim omittunt et A. B. C., consentiente *Sinaitico*, et vero K. cum quinque certe aliis codd. Nec magis agnoscunt Syr. Pesch. Copt. Sahid. Armen., Italae bini antiquissimi codd. Corbej. et Speculi, nec vero Vulg. Ne de *Antiocho* dicam ac *Damasceno*. Ac facillime fieri potuit ut ab iis, qui in loco explicando haererent, male ei insereretur, vel quod post praecedentia *comparandi* vocem requiri putarent, vel quod sectioni *quintae*, ubi idem adverbium ante *ἡ γλῶσσα* scriptum exstat, *sexta* haec assimilanda videretur. Quapropter nostro h. l. *οὕτως*, quod, a tot ac tam gravibus testibus condemnatum, omnino glossema redolet, contra plurimorum, qui spurium id habent, Criticorum sententiam defendere non possum. Virorum doctorum, qui in utramque partem de eo disceptârunt, magnum numerum accurate suo more recensuit reichius; qui, quam acrem proxime praecedentium verborum adversarium se praestiterat, tam solertem hujus adverbii patronum se demonstrat.

Sed ad loci lectionem constituendam hoc etiam per-

tinet. Antiquissima eum vertit Syr. Peschito: *Et lingua ignis est, ac mundus iniquitatis sicut ramus est.* Ita enim, duce WINERO, qui, nostrâ ep. illâ cum versione comparandâ, optime de utrâque meruit [1]), hujus Syriaca verba reddere licet. Quae igitur interpretatio MORO, AUGUSTIO, DE-WETTIO ac CLARISSIO ita se commendavit ut, secundum illam, post verba *ὁ κόσμος τ. ἀδικ.* legendum putarent aut certe subaudiendum voc. ὕλη. Unde haec exsisteret sententia: *sylva illa,* quam incendit lingua, *mundus est iniquus.* Verum, recte monente WINERO, cui POTT. consentit atque HOTT., solum id hîc egit Pesch., ut eam, quam mancam existimabat, suppleret orationem.

Tam difficile multis visum est enuntiatum illud *ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας*, ut propter id ipsum non injuriâ vexatissimum h. l. diceret BRETSCHN. Plurima eaque diversissima illius interpretandi pericula, suo quisque ordine ac consilio, recensuerunt ac dijudicârunt POTT. in singulari aliquo *excursu,* tum THEILIUS et recentissimus HUTH. Mihi duae tantum praecipuae memorandae videntur explicandi viae, quarum utriusque tamen patroni in minoribus denuo longe a se invicem recedunt. Praeeunte igitur OECUMENIO, cui *κοσμεῖν τὴν ἀδικίαν* dicta erat lingua [2]), multi *κόσμον* explicant *ornamentum, ornatum,* ut *impietatis ornamentum* dicatur lingua, quod illam *exornet, coloret, defendat.* Sic WETST., SEML., ELSNER., ROSENM., STORR., HERINGA in *Quaestt.*, alii. Sed id potius hîc

---

1) Vidd. ejus *Observatt. in ep. D. Jacobi, ex vers. Syr., maximam partem crit.*, p. 13.

2) Plenius ejus locum, ubi mox in alia omnia discedit, reposuit GEBSER. p. 255.

agit Auctor, ut doceat quam multa mala pariat lingua, quam quibus artibus peccata excuset eadem. Deinde vix aut ne vix quidem permittit usus loquendi ut, quae *colorat* ipsa atque *excusat* delicta, horum ornamentum, *κόσμος* appelletur. Hoc enim, *passivâ* potius potestate, de re qualicunque usurpari solet, quae ad ornatum adhibetur. Quod recte post alios animadvertit HUTHER.

Longe igitur praeferenda est atque unice vera altera ratio, quâ *κόσμος* explicatur *mundus*, plurimarum rerum complexus ac congeries. Per hyperbolen igitur, plurium populorum usû tritam, ita vocatur lingua, quod *totus quasi iniquitatis mundus in eâ considet* [1]), quod permulta eaque diversissima peccati genera et continet et efficit. Ita construendum est: *καὶ ἡ γλῶσσα, ὁ κόσμος τῆς ἀδικ., πῦρ, lingua etiam, iniquitatis ille complexus, ignis est.* Quâ ex interpretatione minime redundat, quod ei nonnulli objecerunt, *articulus* ante *κόσμος*, qui magnam adeo vim habet, q. d. *famosus iste mundus iniq.* [2]) Hoc autem vehementiore animi affectu concitatus, orationis cursui interjicit Auctor, mox in pleniore imaginis, ab *igne* ductae, accommodatione perrecturus. — *Κόσμον* pro *mundo* habuerunt, quamvis diversâ ratione *universi* hîc memorati notionem explicantes, Vulg., LUTH., CALV., BEZA, interpp. Nederl. BENSON., WINER., GEBS., THEIL., VAN-KOOT., VISSERING., aliique multi.

---

1) Sic rectissime WINER. l. l. de *Peschito*, cui praeiverat CALVIN., ac cui calculum adjicit GEBS.

2) LUTHERUM, qui verterat: *eine Welt der Ungerechtigkeit*, male imitati sunt interpp. Nederl. Melius omnino VISSERING.: *die wereld der ongeregtigheid.*

Ἡ *γλῶσσα — σῶμα* [1]), mediis *in membris nostris se ponit geritque lingua*, tanquam *ea*, *quae totum inquinat corpus*. Sic vertendum videtur, omisso, quod vulgatur, *οὕτως*. Quod si quis germanum habeat, exponat oportet: *sic*, ut ignis aliquis, *sese ponit lingua*, caet. Nos vero, probabiliter spurium id habentes, sine illius auxilio locum expedire conemur. Καθίσταται igitur hîc non pro simplice verbo subst. collocari recte viderunt, qui imprimis consulendi sunt, KERN., THEIL., POTT., HUTH. Acuendum enim est verbum, quod, non sine emphasi delectum, *arrogantiae* notionem aliquam habet. Nostra inter membra, multo majora illa atque insigniora, tantilla ista se jactat locumque sibi arrogat lingua. In illorum veluti centro sese reponens, maximas ibi partes agit. At quales et quam pestiferas! Καθίσταται enim, tanquam *ea*, *quae* peccatorum sordibus *universum contaminat corpus*, nulla non illius membra ad delinquendum incitat, peccati mancipia reddit.

Eâdem continuatâ *appositionis*, quam vocamus, constructione, dicitur porro exigua ea, de quâ agitur, nostri oris pars *φλογίζουσα — γεέννης*. Haec denuo enuntiata quantam pepererint interpretandi diversitatem, ex POTTII apparet ac THEILII recensione. Ad imaginem vix intermissam, ab *igne* petitam, hîc redire Scriptorem ejusque vim ac veritatem disertius vindicare, hoc quidem constat inter omnes. Sed pro accus. *τροχόν* oxytono, *rotam* significante, multi, mutato accentu, paroxytonon scribere malunt *τρόχον*, *cursum* [2]); ut haec enuntiati ex-

---

1) Pro ἡ σπιλοῦσα *Sin.* scribit καὶ σπιλ. Quem vero errorem dictus emendavit Corrector.

2) Non ita WINER., p. 51, qui vere diversa esse docet vocc. τροχὸς,

sistat sententia: *totius vitae*, a natalibus inde ad mortem usque, *cursum* aut *decursum incendens*. Ita GROT., MICH., CARPZOV., MORUS, ROSENMULL., AUG., STOLZ., HOTT., CLAR., HERINGA, alii. Haud incommoda quidem sententia, sed durissimo tropo eoque in eleganti nostro Scriptore vix ferendo, enuntiata illa ac vestita. *Vitae* enim *cursum incendere*, quis unquam ullâ in linguâ dixit non plane inficetus auctor? Deinde, *cursus* ut notetur, δρόμος, non item τρόχος, a LXX et N. F. usurpatum invenimus. Ex utrâque hâc, quam THEIL. etiam (p. 184) prodidit, animadversione nequaquam mundi *cursum inflammatum* a Jacobo vocari satis apparet. — Longe satius igitur est, lectionem aut scripturam potius τροχόν retinere eamque vertere *rotam*; quippe quae *incendi* possit, non item *cursus*. Ita igitur sonat dictum: *incendens illa rotam* τῆς γενέσεως [1]), *originis* s. *natalium*. Est haecce *rota* hominum vita, quae, quum primum nati sumus, tanquam continuo motu, nostrâ demum morte represso, volvitur atque agitatur. Sicuti enim ligneae curruum rotae subinde per nimis celerem aut male temperatam commotionem effervescunt ac comburuntur adeo; sic igni lingua potest comparari, vitae nostrae *rotam incendenti*, i. e. efficienti ut odiis, malis aemulationibus, libidinibus, ut nullis non pravis animi commotionibus *uratur* illa vita, corrumpatur, perdatur. Magno sane Oratore ac Poetâ digna malorum, ex linguae vel imprudentiâ vel malignitate exsistentium, descriptio ac pictura. Recte

---

rota et τρόχος, *cursus*, atque *illud*, cui codd. etiam, accentibus notati, faveant, h. l. retinendum esse monet.

1) Post quam vocem *Sinait.* glossema inserit ἡμῶν.

igitur aut hâc aut non absimili ratione dictum interpretati sunt CALV., BENSON., BAUMG., DE-WETT., SCHNECKENB., THEIL., GEBS., WIN., VAN-DER-PALM, WIESINGER., FRITSCHII, laudans explicationem.

Καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης, *ipsa etiam incensa a gehenna*, *ab infero* i. e. *a Diabolo*. Sicuti enim, scite monente SCHNECKENB., non raro ὁ οὐρανός pro *Deo* dicitur, ita h. l. *gehenna* pro *Diabolo*. Ingeniosa etiam est, quam contrariâ a re idem ducit interpres, comparatio. Ubi „*Sicuti lingua Apostolorum*," inquit, „*incendebatur a* Spiritu Sancto, *Actt.* II. 3, *ita contra nostro loco impiorum lingua a* Satanâ *incensa dicitur*." Quum autem πῦρ hîc appellatam audimus linguam, sponte in memoriam nobis Christi dicta revocantur, quibus γέεννα τοῦ πυρός memoratur, *Matth.* V. 22, XVIII. 9, *Marc.* IX. 47. Caeterum nimis laxa mihi videtur ac justo tenuior GEBSERI aliorumque interpretatio, qui hanc *imaginem* solum esse putant, quam informârit Jacobus atque ad Judaeorum sensum et opiniones attemperârit, ut ignis istius vehementia describeretur ac vis pestifera. Alibi enim, IV. 7, diserte idem jubet Apost.: ἀντίστητε τῷ Διαβόλῳ. Cff. etiam II. 19 et III. 15.

SECT. 7. 8.

Eo graviora damna parit lingua ac calamitates, quo magis est ipsa *indomita*. Hoc igitur novâ eâque lucidâ comparatione, quam accurate praecedentibus annectit particula γάρ, h. l. depingitur. — Loci initio φύσις non simpliciter est *genus*, ut vertit GEBS. Ita enim explicata, languet vox de *hominibus* mox repetita. Est potius

natura, animalium *nativa vis*, ferocia, robur, astutia ac celeritas. Intelligitur ergo *quodcunque illorum inest naturae*, quo fit ut difficulter ab homine compesci possint ac coerceri. Opponitur ἡ φύσις ἡ ἀνθρωπίνη, *quodcunque hominum naturae proprium est*, quo brutorum vim animantium sibi subjicere possunt ac domare. Ita quoque ex parte THEIL. — De *dativi*, pro praep. ὑπό positi, notione vid. WINER., qui τῇ φύσει τῇ ἀνθρ. explicat *per hominum naturam, humanis ingeniis* [1]).

Θήρια non cum POTTIO pro *genere* habuerim, cujus, quae sequuntur, animantia *formas* contineant. Cum GEBS. potius *feras quadrupedas* intelligo.

Sect. 8 vocabb. δύναται ἀνθρ. δαμάσαι aliter alii codd. trajiciunt. *Sinait.* scribit δ. δαμάσαι ἀνθρ. Sed receptum verborum ordinem recte conservat TISCH. — Ἀκατάσχετον κακόν, *malum, quod compesci nequit.* H. l. ferocissimâ cum belluâ, mox venenato cum serpente conferri videtur lingua. — Haud ignoro pro recepto ἀκατάσχετον LACHMANNUM ac TISCHEND., HUTHERO probante ac WIESING., legere ἀκατάστατον, *instabile, inconstans.* Cujus quidem sententiae patronos habent codd. A. B. ac *Sinait.*, quibus unus tantum assentit minusculus. Sed membranis C. G. K., Receptam tuentibus, uno tanquam agmine socios se praebent caeteri omnes minuscc. Ac si versionum, quarum minus exploratum hâc in caussâ est testimonium, una alteraque variae favet lectioni, a vulgatae partibus et Syra utraque stat et utriusque interpretationem THEOPHYL. confirmat atque OECUM. Tum unice huic loco convenit epitheton ἀκατάσχετον, quod unâ

---

1) Vid. *Gramm.* p. 196.

voce efficacissimâ atque appositissimâ sententiam complectitur atque urget, quam proximum declarârat enuntiatum, *a nemine domari posse linguam.* Forsitan ita conjunctae scribebantur litterae unciales *σχε* in v. *ἀκάτασχετον*, ut hinc facile oculorum per errorem litterae *στα* exsistere possent, atque hâcce viâ minus aptum nasci praedicatum *ἀκατάστατον*. Sed quicquid de erroris origine statuatur, tam accurate Receptam defendit REICHIUS, ut neminem amplius fore sperandum sit qui eam in dubium revocet.

Caeterum loci pulcritudinem summo jure praedicat GEBS. Quo duce *poetica* haecce dicta ita explicanda esse monemus, ut difficilius etiam dicatur, linguam prudenter et recte regere, quam ferocissima quaeque animalia. Ipse enim Auctor et supra, I. 19, et mox, sect. 10 ac deinceps, pie ac sapienter loquendi praecepta dat. Quo ipso rem, quamvis arduam ac difficilem, tentandam esse demonstrat.

SECT. 9.

Sine dubio majorem a probabilitate commendationem habet, quod receptum est, *Θεόν*, quam quod ei substituunt A. B. C. ac *Sinait.* binis cum minuscc. et aliquot verss., nomen *Κύριον*. Neque enim ad lectionem mutandam, quae in ingenti testium nube praesidium habet, sex codicum sufficit auctoritas, quorum nullus est quin multis hujus epistolae locis turpes committat errores, quorumque bini huic ipsi sectioni manifesto falsam aliquam obtruserunt lectionem. Quum praesertim cur male *Κύριον* pauci illi praetulerint librarii, in promtu sit ratio:

hoc enim ad *Christum* referebant, cujus nomen, nimis parce pro eorum sensu ab hâc epistolâ usurpatum, inculcandi cupide captarent occasionem. Fieri etiam potuit ut, brevissimo spatio, idem repetitum *Dei* nomen iis displiceret. Neque enim h. l. ab Auctoris concinnitate ac gravitate requiri viderunt τὸν Θεόν, quo aptius esset et quo majorem vim haberet, quod, exeunte sect., subjicitur, καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ. Ne igitur, elumbe istud substituendo Κύριον, elegantissimum enervari dictum patiamur. Plura videantur apud REICHIUM, qui nomina etiam Criticorum recenset, in quibus omnium acutissimus est TISCHEND., qui codicum, quos in deliciis haberent, veneratione allecti, Κύριον praetulerunt.

Quae de malis, quorum caussa esset lingua, adhuc universe dixerat Apostolus, ea nunc ad deterrendos conferre incipit lectores a jurgiis, rixis ac vituperationibus, quibus se invicem lacessebant haud raro et proscindebant Judaei. Quod dicto propositum esse consilium ex collatis apparet sectt. 14 et 16, quibus jam nunc via paratur.

Notetur autem quantam vim oratoriam oppositio habeat εὐλογεῖν inter et καταρᾶσθαι, Dei celebrationem inter, hominum Patris, et malignam eorum vituperationem, quorum non Pater solum esset, sed in quos tanto fuisset amore, ut suae imaginis ad similitudinem creandos eos curaret. Contemtâ igitur ac laesâ *Dei imagine*, Ipse contemni laedique censendus erat. Quo dicto quam efficaciter hominis, *qui Dei genus est* [1]), praestantia demonstratur ac dignitas! — Ex rei autem proprietate

---

1) Cf. Paulli effatum, *Actt. App.* XVII. 28.

vocab. εὐλογεῖν de *solennibus Judaeorum precibus* usurpatur, quippe quas stata illa, quae Supremum Numen *celebrabant*, verba aperire solerent ברוך יהוה. Vidd. SCHNECKENB. et WIES. Eo majore autem rubore, haec legentes, suffundi necesse erat τοὺς ἐν τῇ διασπορᾷ, si, quod probabile est, iisdem in consessibus sacris, quibus ita Jehovam laudabant, maledictis in se invicem invehebantur.

Tandem, quod, primâ pers. plurali usus, dicit εὐλογοῦμεν et καταρώμεθα, modesta haec est, apostolicam humaniter temperans gravitatem, κοινώσεως forma.

SECT. 10.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ — κατάρα. Est haec sententiae, plenius modo antea declaratae, repetitio, quam efficaciorem reddit ac pondere graviorem concisa enuntiati brevitas; ubi commotus cum indignatione dicentis animus *copulae* vinculum respuit. Εὐλογία *Dei*, quam *hominum* comitatur κατάρα! Quis non cum Apost. stolida adeo atque absurda impiam committere linguam miretur atque indignetur! — Οὐ χρὴ — γίνεσθαι. *Litotes*, quâ non solum illicita ταῦτα, *ista*, justo cum contemtu notata ea, esse significatur, sed eadem sanae rationi ac pietati in Deum hominesque plane adversantia.

SECT. 11. 12.

Auctoris consilio eleganter attemperata, haec comparatio ad pulcherrimam illam attendere nos jubet *naturam*, ubi eam omnia habent harmoniae concinnitatem, quae

noxiam contrariorum atque adversorum excludit conjunctionem. Illius enim exemplo moniti, nullo magis incepto divinitus constituto nos reluctari rerum ordini ac reniti docemur, quam si ad Deum *praedicandum* eâdem utamur linguâ, quâ ad homines *vituperandos* abutamur.

Μήτι — — πικρόν; scil. ὕδωρ, quod supplendum esse et interpp. passim monent et WINER. in *Gramm.* [1]). *Numquid eâdem ex cavernâ et dulcem aquam fons emittit et amaram?* — Hâc in comparatione rei significatae accurate singula respondent. Conveniunt enim *eâdem ex cavernâ et eodem ex ore. Laudationi aqua* congruit *dulcis* nec minus bene *vituperationi amara* convenit *aqua.* Tum ipse qui loquitur, *homo fons* est. Vid. GEBS.

Μὴ δύναται — σῦκα; Clara est ac perspicua prior haec sect. 12 pars, ducta illa fortasse simili ex JESU CHRISTI effato, *Matth.* VII. 16. Verum longe ab eâdem abest perspicuitate altera ejus pars, quae in *Elzev.* sic scripta exstat: οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ. Pro quibus MORUS quidem, caeteris ejectis, legendum putabat: οὕτως οὐδὲ ἁλυκὸν γλυκύ. Cui ita consentit THEILIUS, ut οὕτως etiam Auctori abjudicet. Sed VATERO, SCHULTHESZIO et vero REICHIO tam vehementer totum hoc, quod ex textu recepto adscripsimus, displicuit hemistichium, ut spurium id censerent ac suppositium. Quorum sane sententia, si nullam aliam, nisi receptam illam, nobis lectionem *testes* offerrent, multa haberet quibus se probaret. Verum quae vulgatae non injuriâ solertissimus objecit Criticus Goettingensis, ea minime brevio-

---

1) *Ed.* 5, p. 661.

rem hanc premunt ac meliorem lectionem: *οὔτε*[1]) *ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ.* Ita scribunt aut vertendo se legisse produnt A. B. C, ab utrâque hic manu, tum *Sinait.* 13. 27. 29. 66.** 83. 142, porro Corbej. Vulg. Arab. Erpen. Arm. Aeth. ac, quae non ultima memoranda fuerat, Syr. Pesch. De Copt. enim dubitatur. Qui testes, in caeteris consentientes, in eo fere uno dissentiunt, quod eorum nonnulli retinent, a pluribus rejectum, comparationis adverb. *οὕτως*, de quo postmodum breviter dicemus. Caeterum bene testatam esse hanc lectionem nemo facile negaverit. Quum praesertim magnum habeat in consensu praesidium antiquissimorum ac sex aliorum codicum cum nobilissimis quibusque ac vetustissimis *Versionibus.* Quae si a codd. illis dissentirent, horum mihi testimonia valde infirmari viderentur. Laudandi igitur, qui, suâ quisque in ed., vulgatae lectioni breviorem hanc substituerunt, GRIESB. et LACHM. et, qui quatuor deinceps in edd. ei locum dandum esse censuit, TISCHEND. Laudandi multi illi Critici, et antiquiores et recentiores, qui leniorem hanc loco adhibendam esse medicinam viderunt. Quorum nominibus, a REICHIO memoratis, nostrates addendi sunt interpp. VAN-DER-PALM. et VISSERING. — Locus igitur vertendus est: *neque aqua salsa dulcem proferre potest aquam.* Salso ex mari aut fonte nulla ebullire potest, quae ita dulcis sit, ut potari queat, aqua. Ab hâc lectione probandâ nemo se per ea deterreri patiatur, quae objicit REICHIUS; qui *„ad speciem tantum,"* inquit, *„haec a sententiâ commatis*

---

1) Pro negante hâcce part. eorum, quos memoravi, pauci habent *οὐδέ*, quod dubitanter praefert WINER. p. 437.

differunt." Nam hîc diversâ denuo imagine, quam agit, caussam copiosissimus adstruit Auctor. Sectt. 10 et 11, ut doceret nequaquam ejusdem hominis labiis Dei laudes celebrandas esse et in naturae socios diras evomendas, fontem nobis repraesentabat, non eodem ex foramine et dulces aquas emittentem et amaras [1]). Sect. autem 12, in quâ versamur, missâ nunc fontis illius imagine, magis generalia subjicit, quibus disputationis haecce pars concluditur. Nec ulla arbor, ait, fructus proferre potest, suâ plane alienos a naturâ, nec magis ex mari aliove quo aquae salsae receptaculo fluviatilis exsistere liquor. — Scita etiam est ac digna quae a nobis reponatur VAN-DER-PALMII animadversio, quo monente hoc sibi vult Auctor: sicuti fons, qui salsam emittit aquam, etiamsi forte *dulcis* dicatur, dulcis non est, ac sicuti arbor, ex quâ oleae nascuntur, etiamsi *ficus* audiat, non vera tamen est ficus; ita, quae hominibus *maledicit*, lingua Deum *non laudat*. *Videtur* tantum hoc facere, nec revera facere potest.

Ex breviore illâ, quam praeferre jubet antiquissimorum codicum ac versionum auctoritas, hujus enuntiati lectione, subaudiendum ibi est, quod proximâ interrogatione praecesserat, verbum δύναται. Hanc quidem *durissimam* vocat ellipsin REICHIUS atque ad condemnandum dictum adhibet. Praerupti et concisi hanc habere dictorum consecutionem ac conjunctionem facile largior; sed cum stili, quem justa acueret atque incitaret Auctoris indignatio, fervore ac festinatione apprime haec ipsa conveniebat concisio. Apud *Paullum* Apostolum, eâdem

1) Ibi πικρόν dicitur, hîc vero ἁλυκόν.

non raro dicentem animi concitatione, quot exstant multo etiam duriores *ellipses*, quarum tamen caussâ nemo quisquam spurios esse, ubi inveniuntur, locos concludere audeat! Quid quod dicti, quale antiquissimi id legunt testes, non facillima cum superiore connexio nequaquam glossematis indolem redoleat ab eoque spuriae originis suspicionem removere debeat. Nam verboso potius ac putido obscura interpretandi studio librariorum glossemata cernebantur atque interpolationes, quam acutâ hâc ac concisâ brevitate.

Sic igitur universi loci vexatissimi et lectione et sententiâ, nisi certo, at probabiliter definitâ, nec plane intactum nobis relinquendum est adverb. *οὕτως*, a quo posterius sect. 12 hemistichium orditur Recepta. Retinent longe plerique et codd. et veteres interpp.; ut, si a solâ hîc standum esset testium auctoritate, loco moveri non posset. Verum abest ab A. B. C.* *Sinait.* 83, item ab Arm., asterisco etiam notatum a Syr. Phil. Quae tamen eorum voces ad omittendum adverb. nos quidem non adducerent, nisi per manifestam, quam redolet, glossematis indolem admodum suspectum redderetur. Magna enim, quin maxima est suspicio, a librariis id intrusum esse, qui, quum in obscuriore expediendo loco haererent, ita certe ei subveniendum opinarentur, ut, praemissâ comparandi particulâ, arctius cum proximis eum ligarent. Accedit, quod supra etiam, hujus Cap. sect. 6, ubi vidd. notata, simillimâ in caussâ ipsissimum illud *οὕτως* multi inculcârunt. Quo ex exemplo, quam proclives ad talia praeter Auctoris mentem essent scribae, luculenter apparet.

SECT. 13.

Subiti non raro placent Jacobo transitus, ejusmodi illi, ut non continuo dictorum nexus ac consequentia lectori clara accidat; non ita tamen, quin, debitâ ejus monitis adhibitâ attentione, quo vinculo singula cohaereant perspicere possit. Sic et alibi et h. l., ubi iis, qui verborum acerbitate ac malevolentiâ fratres laederent, severe reprehensis, contrariam laudat sentiendi agendique rationem, id est veram illam, quae lenitate cerneretur ac mansuetudine, sapientiam.

Τίς σοφὸς — ἐν ὑμῖν; Veluti animatam reddit orationem ac graviorem, quâ enuntiatur, *interrogatio.* Quod partim WIN. [1]), partim THEIL. atque HUTH. recte animadverterunt. Alibi etiam Auctor, lectorem *interrogando*, sequenti *responso*, admonitionem habenti, vim conciliat. Cf. II. 20 et IV. 1. — *Ecquis in vobis est, qui sapiens atque intelligens esse velit* et haberi? Ad *Judaeorum* animos commovendos nihil dici poterat quod accommodatius esset; quippe qui *sapientiae* imprimis atque *intelligentiae* laudem magnâ appeterent aviditate. Quod et aliunde patet et ex *Rom.* II. 17 sqq.

Δειξάτω [2]) ἐκ τῆς καλῆς ἀναστρ. κ. τ. λ. Post interrogationem illam dicturum esse Ap. exspectaveris: δειξάτω τὴν σοφίαν αὐτοῦ κ. τ. λ. Ecce vero! dicentem eum: δειξάτω τὰ ἔργα αὐτοῦ! In illius mentem si recte nos insinuamus, scribere potuerat, forsitan primum scribere voluerat: „sapiens qui esse velit et haberi, honestam

1) P. 152.

2) Simili quadam in constructione, supra II. 18, idem ponitur aorist Imper. δεῖξον.

per vitam suam hanc demonstret sapientiam. Atque hanc vitae honestatem ejusmodi imprimis factis ostendat, quae sapientiae cum lenitate conjuncta sint ex eâque exsistant." Sed nunc, volante stilo raptus, cogitatorum celeritatem contractâ referente atque adumbrante verborum brevitate, duo illa enuntiata in unam cogit periodum *praegnantem.* Quam ita interpretamur: *pulcram* (honestam) *per vitam facta sua illâ cum lenitate* ac mansuetudine *conjuncta esse demonstret*, *quae* verae *sapientiae propria est.* — Haec si recte se habent disputata, minus accurate WINER.[1]) verba ἐν πραΰτ. σοφίας additamentum tantum continere dicit, quo antecedens illustretur ἐκ τῆς καλ. ἀναστρ. In *illis* enim cardo potius cernitur ac meditullium adhortationis, quae non tam universam commendat vitae probitatem, quam illam singulatim mitem lenemque sapientiam, quae postmodum, s. 15 et 16, ab opinatâ disjungitur sapientiâ ac, s. 17, diserte ac copiose describitur. Certe, quâcunque tandem viâ loci constructionem expediendam putes, quo attentius totum hoc epistolae caput perpenderis, eo libentius, confido, verbis ἐν πραΰτ. σοφίας adeo nullam dictionis abundantiam contineri mihi consenties, ut in iis totius potius sententiae nervus cernatur. Caeterum omnino dignus est qui conferatur CLEMENTIS ROMANI locus, quem POTT. ac GEBS. reposuerunt. — Concinne admodum nec sine magnâ vi, postquam, ineunte sect., σοφός memoratus erat, exeunte eâdem σοφία praedicatur. — *Christum* autem imitatus, *Matth.* V. 5, ejusque exemplum, *Matth.* XI. 29, sequendum commendans, et supra, I. 21, et hîc denuo diserte τὴν πραΰτητα laudat Ap.

1) Pag. 125.

SECT. 14.

Ζῆλον πικρόν, *acerbam* aut pp. *amaram aemulationem*. Monentibus OECUMENIO et THEOPHYL. πικρόν addidit, quia ζῆλος per se vox est media, quae in bonam etiam partem accipi possit. Verum omnino tenendum, quod recte viderunt GEBS. et JACHM., probabiliter hîc ad sect. 11 respici, cujus imago idem habet epitheton [1]). Non magis enim, quam dulci cum aquâ ea congruit, quae amara est, reprehensa ista ab Apost. animi conformatio cum sapientiâ consistere potest. Sic fere, cui lubens assentio, WIES.

Sect. 16, eodem, quo hîc, ordine conjuncta bina exstant substantiva ζῆλος et ἐριθεία. Sic enim posteriorem hanc vocem scribendam esse, quippe quae ex v. ἐριθεύειν exstiterit, non, sicuti a Receptâ fit atque a KNAPPIO, ἐρίθεια, binis adeo Grammatices locis [2]) studiose demonstrare conatur WINER., qui impense copiosum admodum laudat FRITZSCHII de h. v. ad *Rom.* II. 8 *excursum* [3]). Nullum facile Graecorum est substantivum, cujus et derivatio et potestas plures interpretum et dissensiones pepererit et dubitationes. Quid quod non nisi per *conjecturam*, locorum, quibus exstat, contextui accommodatam, id exponi posse prudenter affirmet VAN-HENGELIUS,

1) Nullo jure hanc, quam GROT. jam praeiverat, sententiam nimis argutam vocat HOTTING. Quum praesertim nulli unquam scriptori magis, quam *Jacobo*, placuerit ad praecedentia sua dicta respicere lectorumque animos revocare ac reducere.

2) P. 48 infra et p. 86 supra. WINERO consentit BUTTM. l. l. p. 11.

3) Vid. FRITZSCHII comm. in *ep. ad Rom.* T. I. p. 143 sqq.

intelligentissimus ille Interpres [1]). Nostro quidem loco Jacobeo plerique, quos consului, interpretes, in quibus WAHL. in *Clavi*, HOTT., AUG., GEBS., SCHNECKENB., THEIL., HUTH., *rixandi studium* significari putant. Quae interpretatio et loci consilio ac seriei et adjuncto ζῆλος optime convenit [2]). — Ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν lectoris *linguae*, sapientiam jactanti, opponitur (HUTH.).

Μὴ κατακ. — κατὰ τῆς ἀληθ. [3]), *ne gloriamini* (nempe de vestrâ istâ sapientiâ; quod facile suppletur, quum ex interrogatione, s. 13, tum ex negante, quod s. 15 sequitur, enuntiato) *atque*, ita facientes, *spretâ veritate mentimini.* — Docente WINERO, cui assentiunt DE-WETT. et WIES., κατὰ τῆς ἀληθ. arctius cohaeret cum κατακαυχ.; verum ad hoc acuendum efficacius interjicit v. ψεύδεσθε. Recte quidem illi; sed hoc addendum. Posset quidem, integrâ sententiâ, abesse κατὰ τῆς ἀληθ.; nec tamen superfluum est habendum: apte enim ac concinne enuntiatum concludit, quo pressius id cum proximâ sect. 15 connectatur ac quo magis intendatur, quam ea continet, negatio. — Hîc autem particula negans μή, quae nequaquam cum GEBS. pro *interrogationis* indice habenda

---

1) Qui vid. ad l. l. *Interpr. ep. Pauli ad Rom. Tom.* I, p. 199, ubi dubitanter explicat *studium se efferendi*.

2) Plane concinunt glossae antiquae. SUIDAE enim est ἡ διὰ λόγων φιλονεικία, THEOPHYLACTO ad *Rom.* II. 8 universe φιλονεικία, OECUMENIO ad h. l. ἡ ἐπίψογος φιλονεικία. Vid. J. C. G. ERNESTI, *Suidae et Phavorini glossae sacrae* (*Lips.* 1786) p. 164.

3) Plures sunt codd. qui cum A pro κατακαυχᾶσθε simplex ponunt verbum καυχᾶσθε. Aliter *Sinait.*, qui privo sibi, ut videtur, errore proxime huic verbo subjicit τῆς ἀληθείας, omissâ praep. κατά. Quam vero recte restituit cognitus nobis Corrector, qui elegantiae grammaticae minus studiosus fuisse videtur, quam prima codicis manus.

est, ante ψεύδεσθε cogitatione repetenda est. Quod accurate denuo animadvertit WINER.[1]).

SECT. 15—17.

Ejusmodi profecto haec est veram inter et falso nuncupatam sapientiam disjunctio, quae non posset non lectorum in animis aculeos relinquere.

Αὕτη — ἄνωθεν, *ista*, quae sapientem quidem se jactat, *sapientia*, sed pravae potius aemulationis ac rixandi studiorum mater est, *non superne est adveniens*, sive descendens, coelestem non habens originem nec a Deo repetenda. Ἄνωθεν simili nobis usu adfuit I. 17. Κατερχομένη *adjectivi* fere rationem habet; ἐστί autem simul ad sequentia referendum est.

Negans hocce epitheton tria, eâdem hâc sect. 14, excipiunt *affirmantia*, quae *gradationem* habent, quaeque, quo certius de opinatae istius sapientiae turpitudine constet, cumulantur. Est illa ἐπίγειος, *terrena, coelesti plane repugnans* atque adversans, humilis, abjecta. Est eadem ψυχική, solâ cum ψυχῇ, nequaquam cum πνεύματι conjuncta; sicuti, *Judae* in epist. s. 19, ψυχικοί appellantur οἱ πνεῦμα μὴ ἔχοντες. Est igitur *animalis*, τῇ ψυχῇ, *irrationalibus obediens animae*, potius quam *animi*, *commotionibus*, malarum igitur, quae s. 16 recensentur, cupiditatum mater ac fautrix. Tandem adjectivo, quod nusquam alibi in N. F. scriptum exstat, vocatur δαιμονιώδης, *daemonibus propria*, tanquam ab his oriunda, qui,

---

1) Qui hâcce de sect. consulatur p. 417, 438, 454, de sect. 15 initio p. 313.

sicuti supra II. 19 in fine dictum erat, *Deum esse credunt et horrescunt*. Attendas quam accurate praemisso opponatur adv. ἄνωθεν, ac conferas *Joann.* VIII. 44, q. l. hîc Jacobo obversatum esse putat GEBS.

Hâc certe gradatione nihil dici poterat elegantius nec efficacius. Post praemissa enim terna, quae singula jam κλίμακα habebant, falsae sapientiae epitheta, in eo terminatur oratio, quod a coelestis, quae mox laudatur, sapientiae origine omnium longissime remotum erat atque abhorrebat. Est ista δαιμονιώδης, adeo non *Deum* auctorem habet, ut a maligno potius aliquo atque a Deo averso *Daemone* repetenda sit.

Sect. 16, post ἐκεῖ conjunctionem καί addit A paucis cum aliis codd.; quod etiam ipse inserens *Sinait.*, solito sibi scribit compendio. Recte autem fecit TISCHEND., quod huic librariorum, orationem arctius vincire volentium, glossemati nullum in textu locum concessit.

Ἀκαταστασία, *rerum perturbatio*. Verior enim haec mihi videtur, MORI, GEBS., HOTT., HUTHERI, GRIMMII [1]) aliorumque vocis interpretatio, quam eorum, qui cum POTTIO *sectas*, *dissensiones*, *schismata* intelligunt. Nam et in h. l. contextu et in pluribus aliis, ubi exstat, N. F. locis, prior illa praesidium habet explicatio. Prae caeteris cff. *Luc.* XXI. 9 et 1 *Cor.* XIV. 33.

Sect. 17 ne nos lectionis detineat varietas, continuo monemus, copulam καί, quam ante ultimam v. ἀνυπόκριτος cum *Sinait.* ac G. K. aliisque longe plurimis habet Recepta, eam igitur abesse ab A. B. C. nec paucis aliis et codd. et verss. Probabiliter spuriam eam habuit

---

1) In *Clavis* WILK. N. F. recentissimâ ed. in v.

GRIESB. nec in textum recepit TISCH. Item ejiciendam statuunt GEBS., DE-WETT., HUTH. alii. Recte, ut puto. Nec magis enim hîc, quam alibi, in concitatâ imprimis oratione, Auctori displicuisse *asyndeton* vere animadverterunt librarii.

Summo jure loci pulcritudinem, ineunte suâ annot., praedicavit GEBS. *Jacobea* autem de sapientiae indole dicta cum *Salomoneis*, *Proverbb.* VI. 13—18, contulit de eorumque praestantiâ scite monuit MART. STUARTIUS, jure celebratus ille ecclesiae Nederl. Orator [1]).

Talem autem ipsam dici *sapientiam* teneatur, quales suos reddat *cultores*. Veluti *ἁγνή* dicitur, quia nos, sui studiosos, *ἁγνότητι* imbuit et sic in caeteris, quae illi tribuuntur, virtutibus. Eâdem plane elegantiâ *τῆς ἀγάπης* characterismum informat *Paullus*, 1 *Corinth.* XIII, sect. maxime 4 sqq.

Πρῶτον μὲν ἁγνή κ. τ. λ. Πρῶτον hîc non, sicuti SCHNECKENB. aliique putant, nudae inservire videtur animi dotum enumerationi, sed earum potius aestimationem quandam indicare, ut vertendum sit *imprimis*. Ita POTT., KERN., HOTT., SCHULT., GEBS., HUTH., WIESING. Quam rationem etiam ipse secutus, pulcre animadvertit THEILIUS internam sapientiae vim uno enuntiari ἁγνότητος vocabulo, quippe quae una sit caeterarumque virtutum effectrix, tum externas ejusdem sapientiae rationes sextuplici describi notatione, ubi ad primarium Scriptoris consilium invidiae rixisque occurrendi singula referantur [2]).

1) *Oratt. s.* de nostrâ hâc ep. Tom. II, p. 281 sqq.

2) Praeclarum THEILII monitum quodammodo ad meum accommodavi consilium.

Quae illius disputatio ne cui forte argutior videatur, quam verior, a caeteris dotibus, quae post ἔπειτα uno recensentur agmine, primam illam virtutem, interjecto adv. πρῶτον, satis clare sejungere Auctorem attendat oportet.

Ante omnia igitur ἁγνή est ea, quae laudatur, *coeli* filia, i. e. *pura*, omnibus iis libera malis animi commotionibus, quae opinatam istam inquinabant, quae modo reprehensa erat, sapientiam *terrenam*. Tum εἰρηνική audit, *pacis* conservandae atque instaurandae *studiosa* atque, ut proximae sect. 18 verbis utamur, τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην propria. Cum *pacifico* autem hoc studio arcto sane vinculo binae conjunctae sunt, quibus excipitur, virtutes. Neque enim εἰρηνική potest esse sapientia, nisi ἐπιεικής sit, *modesta*, *verecunda*, *mansueta* atque ἄμαχος[1]), itemque εὐπειθής, *facile* ab ipsis etiam dissentientibus *sibi persuaderi patiens*, *docilis*, *non pertinax nec contumax*. Μεστὴ — ἀγαθῶν. Genitivo καρπῶν adscribentes ἔργων cod. C. aliique pauci, recte illum *interpretantur*, quod igitur *hermeneuticum* est glossema: *bonis* enim *hisce fructibus*, quibus opponitur, quod modo antea reprehensum erat, πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, accuratius pleniusque τὰ ἔργα describuntur, supra, sect. 13, laudata. — Ad v. ἀδιάκριτος interpretandam nullum alium conferre possumus N. F. locum, quippe quae a solo hîc scribatur Jacobo. Quam diversâ a diversis explicetur ratione, THEILII docet atque HUTHERI sententiarum recensio. Antiquiore jam tempore LUTHERO, ESTIO, Interpretibus Nederland. aliisque ἀδιάκριτος esse videbatur *nullo partium studio ducta nec suum inclinari passa judicium*. Cui ipsi sententiae

1) Hâc ipsa cum v. proxime conjungitur ἐπιεικής, 1 *Timoth.* III. 3.

recentiore tempore suos singuli calculos adjecerunt SCHULT., HOTT., KERN., SCHNECKENB., VAN-DER-PALM. Quae interpretatio et vocis rationi bene concinere videtur et orationi contextae. Eam certe sequi praestat, quam GRIMMII, accurati alias Interpretis, rationem, cui idem hoc esse videtur adjectivum, quod non διπλοῦς, *non bilinguis*, *sincerus*, ob additum ἀνυπόκριτος. Ita quidem ille. Sed ipsum illud, quod advocat, ultimum praedicatum vetare censendum est, quominus ita, ut fecit, quod praecedit capientes, Apostolum in argutâ, quam hîc sectatur, brevitate nullo spatio bis idem fere dicentem faciamus. Ἀνυπόκριτος [1]) enim, pp. *ab omni simulatione aliena*, ea est, ex egregiâ SCHNECKENBURGERI interpretatione, *quae non specie tantum ac verbis contenta, factis sese demonstrat.*

Tandem universe nobis animadvertendum est prudentissimo delectu eas singulatim ab Ap. sapientiae dotes recenseri ac commendari, quae Judaeorum litigandi studiis atque inflatae gloriationi prae caeteris adversarentur.

SECT. 18.

Art. τῆς, quem ante genit. δικαιοσύνης, plurimos secuta codd., habet Recepta, optimi testes omittunt ac vetustissimi. Quorum igitur auctoritate recte eum expunxerunt GRIESB. ac TISCH. Quibus assentiunt DE-WETT., HUTH. aliique.

Hic autem locus est, quem diversis admodum rationibus vel explicuerunt vel vexârunt interpretes. Quorum

1) Copulam καί, quam ante hanc vocem Recepta inserit cum *Sinait.* G. K. aliisque multis, recte omisisse videtur, A. B. C. aliosque secutus, TISCH.

nonnulli, POTT. e. g. et VAN-DER-PALM., valde dubitanter ac suspenso veluti pede hîc versati esse deprehenduntur. Equidem non eleganter quidem, sed accurate, ut spero, ita verto: *Justitiae fructus per pacem iis* (eorum in commodum) *seritur, qui pacem colunt.* — Τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην. Dativus hic *commodi* est, non *actionis*, qui pro ὑπὸ τ. π. ἐ. ponatur. Quam VAN-DER-PALMII atque HUTHERI sententiam vereor ut Graecitatis ferat ratio [1]). Itaque *qui pacem faciunt* aut *colunt* ii sunt, qui *pacificae* illius, quam laudârat Ap., sapientiae sunt studiosi atque *agendo* et vivendo suum hoc probant studium. Bene enim attendendum est plane eosdem *Jacobo* hîc esse τοὺς ποιοῦντας τ. ἐ., quos unâ ejusdem potestatis voce, εἰρηνοποιούς vocaverat *Christus*, *Matth.* V. 9. — His igitur καρπὸς δικ. σπείρεται, divinitus iis destinantur ac certae *messis* instar cuncta illa bona reponuntur, quibus *verae pietatis* praemia continentur. Non multos enim sibi assentientes habebunt SCHNECK. et GEBS., qui δικαιοσύνην peccatorum *absolutionem (justificationem)* hîc esse existimant [2]) — Durior quidem imago videri potest, quâ *seri* dicitur *fructus*. Verum significanter admodum haec enuntiat breviloquentia quod plenius diceretur: *ea illorum in commodum fit sementis, unde justitiae fructus exsistant.* Tam certa est atque explorata piorum haec exspectatio, ac si ipse jam iis satus esset *fructus*. Recte igitur *praegnans* hoc enuntiatum vocat HUTH. — *Fructus*

---

1) Veri nominis hunc *dativum* esse nobis assensit WINER. *Gramm.* ed. 4 p. 196, ed. 5 p. 249. Quam tamen in ultimâ eum reposuisse animadversionem non mihi constitit.

2) Eandem fere rationem hic habet *genitivus*, quam idem, sect. 13, casus in dictione πραΰτης σοφίας.

ille *iis seritur ἐν εἰρήνῃ.* Eâdem sine dubio potestate hîc ponitur substant. *εἰρ.*, quâ continuo post in dictione, quae huc respicit, *τοῖς π. εἰρήνην.* Explicetur igitur *per pacem* ac concordiam, vel, accuratius etiam forsitan, *dum pacis* ac concordiae colendae *studiosi sunt.* Hoc, quod integrâ sententiâ abesse potuerat, adjici puto, quo disertius tanta consequendi bona viam ipsum illud pacis esse studium indicetur lectorumque animis insinuetur.

Sic olim jam, in nonnullis GEBSERUM secutus, semel iterumque cum Commilitonibus locum interpretatus sum. Nec vero nunc melius quid ad eum expediendum vel ipse reperire potui vel ab aliis mihi oblatum vidi.

CAPUT QUARTUM.

Quamvis subitus hic sit sect. 1 sqq. nobisque inopinatus transitus, non dubius tamen attendenti est nec obscurus praecedentium nexus ac sequentium. Eximiae enim, quam modo antea legimus atque admirati sumus, *pacificae sapientiae* laudationi nihil accommodatius esse poterat, quam ea, quae subjicitur, jurgiorum rixarumque, inter lectores exortarum, severa reprehensio. Quum praesertim ex *pace* tantum bonorum exsisteret, quantum proxime antecedens locus, III. 18, praedicârat [1]). Non *adhortatur* tamen fratres: *Ne rixamini neque altercamini. Ponit* potius ac post omnia, quibus pacis studium com-

1) De hujus singulatim sect. cum sqq. nexu consulatur WIESSING.

mendârat, quae illi adversarentur turpissima esse, summo jure *ponere* poterat. Non solas hominis actiones corrigere volens, sed ipsum ejus animum emendare, continuo malorum *fontes* recludit.

SECT 1.

Πόθεν; *unde? quo ex fonte?* Hocce, quod semel tantum, ineunte sect., habet Recepta, adverb., iterum ante v. μάχαι scriptum exstat in A. B. C. *Sinait.* aliisque aliquot codd.; quibuscum verss. nonnullae consentiunt aliique veteres. Ac magis concitatum ipsius Auctoris stilum redolet hujusque imprimis loci fervorem vocis repetitio, quam scribarum aut correctorum glossema; quibus superflua potius, quam necessaria, illius videri posset iteratio. Quocirca recte fecisse puto TISCH., cui dubitanter praeiverat GRIESB., *bis* in textu posito πόθεν; quod item repetendum putant GEBS., DE-WETT., WIES., HUTH. Neque incertos nos reddat oportet Syriacae Pesch. aliarumque id omittentium verss. auctoritas. *„Verss. „enim vetustissimae saepe vocabula repetita ad sensum nil „facientia reddere supersedent"* [1]).

Πόλεμοι καὶ μάχαι. Non dixerim secundum POTT. synonyma bina haec esse vocc. ac pro v. ἔριδες posita. Etenim πόλεμος *vehementiorem* indicare videtur *dimicationem*, μάχη *minus apertam concertationem.* Quo acutius enuntiaret Auctor quam odiosae essent, quas reprehenderat, lites, oratorie *bella* eas vocat ac *certamina.* GRO-

1) Sic recte REICHIUS, qui de h. l. nihil monet, p. 161, ubi de repetito οὗτος, *Jac.* I. 25, agebatur.

tium enim, de *bellis* pp. dictis hîc agi putantem, recte refutârunt gebs. et pott.

Οὐκ ἐντεῦθεν — μέλεσιν ὑμῶν; Non est *compendiaria* haec cum modo memorato utroque interprete dicenda locutio. *Graphica* potius rei significatae est informatio, quâ primum intento tanquam digito monstrantur, deinde diserte nominantur αἱ ἡδοναί. *Nonne inde* bella ista exsistunt ac certamina, *vestris ex cupiditatibus?* Has enim per metonymiam hîc ἡδονάς dici, non ipsas, *quibus sensus oblectentur, delicias* (bretschn.), optimi quique, quos consului, consentiunt interpretes, grot., estius, de-wett., hott., morus, wies., huth., wahl in *Clavi*, alii. Quos verum vidisse (ne de ἐπιθυμεῖτε, s. 2 ineunte, dicam) satis ex adjunctis apparet τῶν στρατευομ. ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν, *quae bella gerunt vestris in corporibus* sive membris. Quod minime nonnullis cum interpretibus ita capiendum est, ac si nude diceretur *in vobis.* Praeclara potius estii approbanda animadversio. Ubi: „*Cupiditates*," inquit, „*tanquam milites*, *membris vestris*, „*ut armis*, *utuntur ad opera peccati*, *cujus imperio et* „*regno militant*, *veluti oculis ad male appetendum*, *ma*„*nibus ad fraudandum*, *linguâ ad maledicendum*." Haec igitur attendentes, simul corporeis a sensibus animi cupiditates inflammari recordemur. — Exquisitâ autem et elegantiâ et gravitate, quam δεινότητα dicere licet, haec cernitur et proxime sequens oratio. Postquam πόλεμοι καὶ μάχαι memoratae erant, unice aptum *bellicum* illud v. στρατεύεσθαι. Hîc sane nec raro alibi grandiore tanquam cothurno, qualis Tragicorum erat, incedentem videmus Jacobum.

SECT. 2. 3.

Ad lectorum animos pellendos pungendosque accommodatissimâ oratione *Cupiditatum* hîc pugna describitur ac concertatio, quae mortalem requiescere non sinit, atque in certamen et secum ipso eum adducit et cum naturae sociis. Neque in eo acquiescens, Auctor tam irritum et infructuosum hoc esse certamen docet, ut nullius voti compotem miserum reddat τῶν ἡδονῶν mancipem. Quem est quasi *Sisyphi* saxum volventem videamus *nec proficientem hilum.*

Ἐπιθυμεῖτε καὶ οὐκ ἔχετε, *quae* tam acri contentione *cupitis non habetis* nec vobis comparare potuistis. Etenim et hîc et mox ubi recurrit οὐκ ἔχετε per dictionem definitur οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν. Immoderatis hominum desideriis nullus unquam respondet nec satisfacit rerum exitus. *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*

Quam diversa iisdem de rebus peritissimis etiam placeant rerum arbitris judicia, luculento docet exemplo quod proxime sequitur verbum φονεύετε, *occiditis.* ERASMI enim conjectura, quâ hâc pro voce legatur φθονεῖτε, *invidetis*, pluribus arrisit et antiquioribus Criticis et recentioribus, in quibus Viri etiam fuerunt prudentissimi. Ne enim de antiquâ dicam versione Tigurinâ, eam probârunt LUTH., CALVIN., BEZA, SCHMID., BENS., SCHULT., POTT., HOTTING. Quid quod huic de conjecturae veritate tam certo constaret, ut eam neque a SEMLERO neque a MORO probatam fuisse se non satis mirari posse affirmaret. Alii contra iique non minus acuti Critici eam aut diserte repudiârunt aut vix dignam memoratu ha-

buerunt aut silentio condemnârunt. Quorum sunt in numero KERN., DE-WETT., GEBS., THEIL., GRIESB., TISCH., REICH., HUTH., WIESING. Ne SCHNECKENB. dicam, qui cavere jubet ne, ERASMUM secuti, *sententiae vim exstinguamus.* Non miror equidem multorum calculos ERASMI illam tulisse suspicionem. Paucae enim, quibus N. F. lectiones refingendas putârunt Critici, tam speciosae sunt conjecturae. Sed nullum ea in ullo antiquae ecclesiae libro scripto praesidium habet. Ne in OECUMENIO quidem, quem male ad partes vocâsse HOTTING. satis docuerunt GEBS. et THEIL. Nec facile quisquam explicuerit, quâ tandem ratione factum sit ut facillima ERASMI lectio *φθονεῖτε*, si germana esset, in longe difficiliorem corrumperetur vulgatam *φονεύετε*. Atque eo profecto minore jure hoc in dubium revocabimus undique testatum vocabulum, quando infra, V. 6, severiore etiam reprehensione, lectoribus objicientem audimus Apostolum: *Justum condemnâstis atque interemistis hominem.* Ac possumus sane, GEBS., SCHNECKENB., a quibus non longe recedit VAN-DER-PALM., duces secuti, dictum *φονεύετε καὶ ζηλοῦτε* interpretari *ad necem usque*, internecino tanquam odio, vobis invicem *invidetis.* Haec enim ferri potest explicatio, ubi oratorie adeo quin poëtice fere loquitur epistola. Sed nihil est quod in tenuiore hâc acquiescere nos cogat interpretatione. Si enim non ad solos ea data est *Christianos*, atque aliorum etiam Judaeorum salutarem sibi propositam habet admonitionem; quis hos inter *caedes* committi potuisse nec raro commissas esse negaverit? Quum praesertim et nullo non tempore animis iracundi essent et nunc potissimum, per studiorum de rebus sacris ac civilibus diversitatem,

ad dissentientes persequendos fratres incitarentur in multis degeneres Abrahami posteri [1]).

Multo minus de dicti lectione constat, quod prope sect. 2 finem, a Receptâ scribitur οὐκ ἔχετε δέ. Ubi vero δέ ita idoneis destitutum est testimoniis, ut locum suum tueri nequeat. Quo igitur omisso, οὐκ ἔχετε, nullâ intercedente copulâ, post πολεμεῖτε ponunt A. B. G. K ac plerique minuscc. nec nulli codd. Latini. Quam eorum lectionem tantum non omnes probant, quos REICHIUS recenset, Critici recentiores. A quibus vero dissentiens ipse, *Sinaïtici*, aliquot codd. minuscc. et omnium fere verss. testimoniis obsecutus, copulam καί praemittendam censet. Quam sententiam operae pretium est cognoscere quam acutâ et quam accuratâ tueatur disputatione. Nec mihi tamen non satis eam probatam esse diffiteor. Codicum enim suffragia longe magis breviori favere, quam alteri lectioni ne ipse quidem negavit Vir candidus. Hae autem illorum voces eo majore fide dignae sunt, quoniam in omittendâ copulâ cum A et B consentiunt, alias saepe ab iis dissentientes, G et K ac multi minuscc. Nec pro tuendâ copulâ ad *versiones*, quibus reposita cernitur, provocandum videtur. Illae enim quantâ vel libertate vel socordiâ, pro suo cujusque interpretis sensu, minuta ejusmodi orationis vincula modo inculcent, modo repudient, multa probant exempla nec quisquam nescit. At eam omnino requiri arguunt ejus patroni, ne justo abruptior reddatur locus atque obscurior. Enimvero sine illius operâ omnia optime hîc

---

1) Cf. de hoc dicto WINER. p. 417, ubi, servatâ receptâ lectione, diserte tenuiorem ejus confutat explicationem.

cohaerent; dummodo, quod omnino faciendum videtur, ab altero hoc *οὐκ ἔχετε* nova periodus ordiri censeatur, quae ita idem ineuntis sect. dictum repetat ac resumat, ut nunc deinceps quibus fieret caussis exponatur, ut nequicquam ardenter optata bona nancisci stolidi studerent mortales.

In v. *αἰτεῖσθαι* modi *Medii* potestas notetur, *sibi petere.* Mox quidem in hoc verbo, euphoniae forsitan caussâ, *Activus* modus excipit *Medium*, sed tum denuo in *Med.* scribitur *αἰτεῖσθε.* Post dictum autem: *διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι* male nonnulli, quos recenset POTT., supplent *παρὰ τῶν ἀνθρώπων.* Sine dubio enim supplendum est, quod supra, I. 5, post idem legimus verbum, *παρὰ τοῦ Θεοῦ.* Quod quae hîc sequuntur in iisque imprimis sect. 8 satis clare docent.

Recte locum explicat THEIL.: Nihil habetis, quia „*rapere mavultis*, *quam precari*, *vestris viribus niti*, „*quam piâ in Deo fiduciâ.*"

Sect. 3 brevissimis, quorum altero concinne excipitur alterum, incisis, pergit oratio ac concluditur.

Αἰτεῖτε — λαμβάνετε. Proximo dicto, quo neglectae arguebantur preces, ne hoc adversetur, ita, in populari hâc epistolâ, capiendum esse docet sensus communis: „si forte fiat ut aliquando *precemini*, vel sic tamen quae petieratis *non accipitis.*"

Διότι — δαπανήσητε [1]). *Κακῶς*, *perverse*, malo nec Deo placente consilio, per ea explicatur, quae de precantium propositis dicuntur, vertenda illa, sicuti recte

---

1) *Sinaiticus* isque solus huic verbo compositum substituerat *καταδαπ.* Quem vero ejus errorem recte emendavit idem, qui supra, Corrector.

JACHM. aliique praeiverunt: *ut ea* ipsa, quae a Deo flagitâstis, *vestris in deliciis ac voluptatibus consumere possitis.* Minus accurate enim aut minus perspicue certe THEIL.: *ut multa insumere possitis pro voluptatibus vestris.*

SECT. 4.

Spuria esse vocc. *μοιχοὶ καί*, ut ab ipso Auctore solae compellatae ac reprehensae sint *μοιχαλίδες*, multis demonstrare conantur et REICH. et vero TISCHEND.; qui pleraque nunc ad 7^{mae} suae ed. h. l. repetit, quae, ante hos multos annos, in primae ed. Lips. *Introitu*, adversus SCHOLZIUM et FRITZSCHIUM[1]) disseruerat receptae patronos. Atque alios nonnullos, recentissimos imprimis, Criticos atque Interpretes assentientes sibi habent REICH. et TISCH. Quamquam longe plures sunt qui vulgatam vel strenue defendant, in quibus GEBS. imprimis laudandus, vel taciti probent atque explicent. Quorum sententia mihi quidem unice vera videtur. Brevior enim illa lectio non nisi in tribus exstat codd., A. B. 13, ad quos nuper quartum accessisse novimus *Sinait.*[2]), sed cujus socordiam haec ipsa denuo testatur sectio[3]). Contra

1) Censorem illum Halensem, quem *peritissimum* ipse vocat TISCH., FRITZSCHIUM fuisse Giessensem et per se mihi probabile videbatur et probabilius etiam redditur, quia hic, in *diss. de ed. Lachmanni*, propter ejecta illa vocabb. acriter eum reprehendit.

2) Hîc vero imprimis attendatur, quem saepius diximus, Corrector, qui omissa restituit vocabb.

3) Prius post *κόσμου* paucis cum aliis addit *τούτου*. — Quod priori *τοῦ Θεοῦ* postponendum erat, *ἐστὶν* ei praemittit. — Continuo post omittit pron. relat. *ὅς*, cui locum reddidit Corrector. Qui etiam prope sectionis finem verum reposuit *ἐχθρός*, ubi *ἔχθρα* scripserat prima manus.

pleniorem et G. K. retinent et omnes, praeter unum illum 13, caeteri codd. et THEOPHYL. et OECUM. In *verss.* autem antiquis ne una quidem est quae solum reddat foemin. *μοιχαλίδες*. Earum quidem aliae, omissâ *foeminarum* compellatione, solum vertunt *μοιχοί*, paucae vero totam, quae vulgatur, praetereunt allocutionem. Illarum igitur interpretatio non absurdam peperit nec probandam tamen SCHULTESZII suspicionem, Auctoris a manu solum profectum esse *μοιχοί*. Quid vero TISCHEND.? „*Statuere* „*non licet*," inquit „*interpretes veteres in codd. suis aliud* „*invenisse, quam μοιχαλίδες, quamvis pro interpretandi* „*libertate non foemininum, sed masc. exprimant.*" Enimvero pessima sit caussa necesse est, quae tali indigeat auxilio. Inter omnes enim constat quosvis oratores ac scriptores ita saepe *masculino* genere uti, ut *sequior* etiam *sexus* includatur. Qui vero, in gravi quidem oratione, contrariam, quam hîc sibi invenisse videtur TISCH., sequantur rationem, eos mihi certe ignotos esse libens fateor. Nam quod idem Criticus, G. HERMANNI diss. aliquâ laudatâ, a Graecis non nunquam eos dictos esse *foeminas* arguit, quos turpissimus infames redderet amor; scurrilem hunc jocum levissimae gentis dicacitati relinquamus, nec invitis obtrudamus Apostoli interpretibus, *nedum ipsi Apostolo.* Etenim absurdius etiam est quod adjicit idem, ubi: „*Oritur inde*," inquit, „*quod Jac. tali* „*voce* (*μοιχαλίδες*) *utitur, orationi non minima gravitas* „*convenitque translato sensui, quem solum loco isti aptum* „*habeo, multo magis si qui desciverunt a Dei foedere om-* „*nes communiter μοιχαλίδες compellantur, quam si sexûs* „*ratio habetur et uterque curiose ponitur.*" Itane Auctor, eâdem reprehensione et viros complecti volens et foemi-

nas, non *illos* compellat, sed *has* singulatim easque solas? — Hanc tum demum probabilem dicere poterimus conjecturam, si vel *Jacobum* tam *μισογύνην* fuisse constiterit, quam *Euripidem* ac BOILAVIUM, vel illius aetate bonos quidem piosque fuisse *viros*, eorum vero *uxores filiasque* idololatriae studio pessimam retulisse Regis *Achabi* conjugem. Neutrum vero quum quisquam contenderit, nisi magni Critici me retineret veneratio, *perspicue falsam* hanc illius rationem vocare non dubitarem.

Unum hoc vere dixit TISCH. *translato usu* adulterium hîc vocari vel scortationem. Quamquam de admonitionis gravitate ne tantillum quidem tollit servata tantum non omnium codd. ac verss. lectio *μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες*. *Adulteros* enim ab Hebraeis dictos esse, qui, fidem Jehovae datam fallentes, Idola colerent, permultis constat exemplis ac Prophetarum dictis. Neque igitur verendum erat ne Apostolum, vitia in nimio rerum mundanarum amore fundata, *scortationi* comparantem male lectores intelligerent, ejusmodi imaginibus audiendis assueti. Quum praesertim, quod compellationem excipit, generale nomen *φιλία τοῦ κόσμου* non de uno singulatim peccatorum genere cogitandum esse ostenderet. Sic fere et olim ZWINGL. et hocce seculo SCHNECK. et GEBS., omnino consulendi illi. Sic plerique interpretes. — Ὁ *κόσμος* tanquam Numen aliquod aut Idolum informatur Dei Numini adversans. Ita fere ὁ Μαμωνᾶς, in JESU-CHRISTI dicto, *Matth.* VI. 24, qui locus cum nostro comparetur.

Ὃς *ἂν οὖν* [1]) — *καθίσταται*. Videri hoc possit idem

---

1) Adverb. *οὖν* a cod. G ac non paucis minuscc. omittitur. Quocirca non nisi dubitanter retinuit GRIESB. Recte tamen, *Sinait.*

fere esse quod praecedens enuntiatum. Utrumque certe quid discriminis intersit non omnes satis accurate animadvertisse videntur interpretes. Dicti vis in v. καθίσταται sita est; *constituitur* divino in judicio, itaque tractatur atque aliquando punietur ut Dei inimicus et adversarius. Nisi forte quis pro *Medio* habere velit, ut sit tanquam talem *sese constituit* ac demonstrat. Sed compellationis cum severitate melius convenire prior videtur. interpretatio.

SECT. 5. 6.

Ἢ δοκεῖτε κ. τ. λ. De hujus loci difficultate passim conquesti sunt interpretes. Vexatissimum summo jure eum vocavit SCHNECKENB., quippe cui *ferro et igne* medicinam facere conati sint Critici. Fluctuat autem ac laborat interpretatio, et quoniam bini laudari videntur S. Cod. loci, quorum non nisi unus inveniri potuit, et quoniam diversis valde modis *interpungi* haec dicta possunt ac *pronuntiari*. THEILIUS enim undecim diversas loci interpungendi rationes quâdam in tabellâ conspiciendas dedit. Ne varias *explicandi* vias memorem, longe a se invicem recedentes illas, quae iis ipsis placuerint, qui in *distinguendis* verbis consentirent. Nec vero pauci, post editum THEILII commentarium, novi exstiterunt hisce tenebris lucem afferendi conatus. Quos quum recensere nequeam, brevissime tamen postea indicabo.

Loci difficultas multas peperit multorum, ex suo cujusque ingenio eum emendare volentium, *conjecturas*.

---

aliosque testes secutus, conservavit TISCH. Trium enim minutarum vocularum durior ille concursus librarios offendisse videtur.

Quas ita improbat REICHIUS ac confutat, ut solam amplectatur HOTTINGERI suspicionem eamque acutâ defendat disputatione. Caeterae igitur quum jam fere obsoleverint nec majore commendentur probabilitate, de unâ illâ, quae habet quod nonnullis forte arrideat, quaeque recentissimum ac nobilissimum nacta est Patronum, pauca nobis dicenda videntur. HOTTINGER. igitur, probante REICHIO, ita spurium habet posterius sect. 5 ac prius sect. 6 hemistichium, ut *glossema* verbis contineatur: πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ — — διὸ λέγει. Quâ probatâ sententiâ, ex iis, quae nunc sect. 5 et 6 scripta exstant, Auctori sola haec relinquentur: ἢ δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει· ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις κ. τ. λ.; HOTTINGERUS autem quum incertior quodammodo haesisset, quod probabilis non suppeteret loci turpiter adeo interpolati caussa, hunc quoque scrupulum nobis eximere conatur clarissimus Criticus Goettingensis. Nec tamen audacissima haec mihi probanda videtur nodi Gordiani, dissolvendi potius illius, dissectio. Primum enim difficiliores fere in locos atque impeditos, quos clariores reddere vellent librarii aut correctores, intrudi solita esse glossemata constat. Sed si ea tantum hîc scripsit Ap., quae ab eo profecta esse putant Duumviri, nihil quod quemquam offendere posset, aut cuiquam obscurum esse, haec ejus verba continebant. Quâ igitur dementiâ capti, Glossatores locum nulli non perspicuum eo non illustrârunt, sed obscurârunt additamento, quod tantas Apostoli dicto nebulas offunderet? Sed sumamus eos, ineptâ plane ac superfluâ sedulitate, Auctoris verba supplere voluisse. Unde tandem illud arripuerunt πρὸς φθόνον? Quidni potius ex proxime praecedentibus hoc, quod prae

manu iis esset, conflârunt glossema: πρὸς τὴν Φιλίαν τοῦ κόσμου ἐπιπ. τὸ πν.; Quid tandem eos impulit ut, nullo alliciente contextae orationis indicio, *Spiritum* huc *nobis inhabitantem traherent?* Nec hoc sane memoratam commendat suspicionem, quod verba etiam proscribit: μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, quarum conjunctio cum ultimis binis sect. 6 verbis ipsissimam Jacobi manum redolet ac consuetudinem.

Haec igitur conjectura quum non minoribus certe laboret vitiis, quam caeterae, quas ipse merito repudiavit REICHIUS, dispiciamus age, utrum quae forte interpretandi loci via pateat ac ratio, quâ fiat ut a criticae falcis vehementiâ atque impetu defendi possit. Ἢ δοκεῖτε — λέγει; Haec olim hunc fere in modum *per se* ac seorsum interpretanda putabam: *Num frustra*, num sine gravibus consiliis his de rebus, quas adhortando et reprehendendo attigi, *dicere* S. S. (Veteris Foederis) *existimatis?* Multa enim in eam, quam sequendam commendârat Auctor, sententiam passim V. F. tabulae docent; e. g. *integro animo colendum esse Deum; — non claudicandum esse*, non nutandum nec vacillandum *duas inter cogitationes* adversas; — *non Deum simul atque Idola coli posse* et quae multa sunt hujus generis alia. — Nunc vero hoc mihi satius videtur ac commodius ut ea, quae *dicens* informatur S. S., locum spectare censeantur *Proverbb.* III. 34, mox sect. 6 laudatum. Jam hîc igitur animo suo obversans habet Auctor Salomonis effatum illud. Sed verba praevolantibus cogitatis, antequam ipsum afferat dictum, ad Dei Spiritum, Novi Foederis tempore, nos regentis, commemorandum se convertit. Unde paullo abruptiorem quidem exsistere enuntiatorum connexionem

facile largior. Sed quod neminem offendet, qui *torrentis instar, de monte decurrentis*, Jacobi non raro fluere orationem meminerit.

Πρὸς φθόνον — ἐν ἡμῖν; Permulti interpretes, proxime haec superiore cum interrogatione conjungentes, singulare aliquod veteris auctoris alicujus, quod hîc reposuerit Apostolus, dictum quaesiverunt, sive ex iis, qui supersunt, V. F. libris depromtum, sive ex deperdito aliquo ejus scripto, seu ex *Apocrypho* libro, vel superstite illo vel perdito, seu tandem ex JESU-CHRISTI aut Apostolorum effatis. Sed nullum cujusquam scriptoris vel sacri vel exteri, quod hîc in censum veniret, dictum reperiri potuit. Quocirca ipsi Scriptori nostro altera etiam haec, quae rem in quaestione positam negat, tribuenda est interrogatio. Τὸ πνεῦμα *Dei* est *Spiritus* intelligendus, qui et alibi et *Rom.* VIII. 15, in Christianis *habitare* dicitur et vero mox *majorem dare gratiam*, quod in nullum conveniebat *animum humanum*. De Illo jam quaeritur: *Num, qui perpetuo nobis adest, Spiritus cupit ad invidiam?* i. e. num tales nostris in animis accendit cupiditates, quae ad malignam nos impellant aemulationem? Commodum autem locum hîc invenit *invidia*, ubi eos compellat, quos modo antea reprehenderat ζηλοῦντας et ἐπιθυμοῦντας, quorumque *cupiditates* mutuae aemulationis atque obtrectationis nimis foecundae erant matres. Deinde, qui nostris habitat in pectoribus, Spiritus divinus id facere dicitur ipse, ad quod faciendum nos excitat aut adjuvat. Quâ de re omnino *Paulli* dicta conferantur, *Rom.* VIII. 26 et *Gal.* IV. 6. Itaque et V. F. *scripta* et N. F. *Spiritus* ejusmodi adversabantur *mundi amicitiae*, quae *invidos* redderet Christianos et in se invicem malevolos.

Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν (*sect.* 6), *majora impertit dona* ac beneficia; *majora* nimirum, *quam quae expetebant invidi illi atque arrogantes, quos reprehendit Ap. Sect.* 2—4, *coll.* 6. Ita recte HERINGA, in *Quaestt.* Sed majora etiam haec erant bona, quam quae *Mundi* dare posset *amicitia.* Ipse ea hîc dare dicitur *Spiritus S.*; quippe per quem ea Deus impertiat. Divino sane hoc beneficio quiete animis restitutâ ac tranquillitate, in iis non exstingui non potest malae aemulationis flamma atque incendium.

Διὸ λέγει, *idcirco*, quoniam tanta piis modestisque sui Numinis cultoribus bona impertire vult Deus, *dicit*, idem nimirum Spiritus: ejusdem Dei Spiritum et in V. et in N. F. sanctos per scriptores loqui pie credebant ac sibi persuasum habebant Apostoli.

Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις κ. τ. λ. *Deus arrogantibus quidem adversatur*, i. e. superbis mundi amicis, Illius jussa nec praecepta curantibus. *Sed modestis* ac modeste se venerantibus *beneficia dat.* Eundem hunc *Proverbb.* locum laudat 1 *Petr.* V. 5[b].

Sic igitur, non in omnibus quidem, sed in nonnullis tamen MORUM, HERINGAM ac CLARISSIUM secutus, locum difficillimum omnibus, quae in censum veniebant, denuo perpensis, nunc explicandum duco. Si qui autem forte sunt, quibus nec ego nec caeteri, qui totam deinceps epistolam enarrandam sibi sumserunt, vel interpretando h. l. vel conjecturis tentando satisfecerint; hi eos consulere possunt, quales non pauci fuerunt Viri docti, qui hoc singulatim Apostoli dictum peculiaribus illustrare conati sunt commentationibus. In quibus nominandus est, ut solos memorem recentiores nonnullos, J. AB UTRECHT DRESSELHUIS, qui Cap. III. 13 — IV. 10 de

industriâ interpretatus, nostro huic loco nonnulla transponendo medicinam afferendam putavit [1]). Eidem illustrando binas tribuit easque copiosas disputationes FRED. ZYRO, Theol. Prof. Bernensis, quarum priore KERNII imprimis sententiam refutat; alterâ, quae recentis est memoriae, ex parte certe refellit E. PARET [2]). Alia denuo sententia WILLIBALDO GRIMM placuit, Theol. Prof. honor. Jenensi, qui hîc dictum aliquod *Targumi* sive libri *Midrasch* afferri suspicatur. Adversus quem ita disputat EWALDIUS, ut deperdito potius *Vet. Foed.* scripto fonte usum esse Jacobum lectori persuadere studeat [3]). Nequaquam *Apocrypho* ex libro hîc profecisse Auctorem accurate demonstrat J. RIGGENBACH. Theol. Prof. Basil. [4]). Multum etiam operae in h. l. collocavit ERN. CAR. RAUCH., qui olim universam epistolae rationem explicandam sibi sumserat, diu autem postea ita hunc singulatim locum enarravit, ut, aliorum refutatis rationibus, suae interpretationi simplicitatis ac facilitatis laudem vindicare conaretur [5]).

---

1) In opere, cujus ipse tunc Moderator erat: *N. Bijdr. tot de bijb. Uitlegk.* T. II, P. 1. 1847. Quae ejus comment. eximie laudatur ab Ephem. *Waarh. in Liefde*, 1848. 3. 597, et *Godgel. Bijdr.* 1850. 3. 388 sq.

2) Priorem disp. edidit ZYRO in op. *Studien u. Krit.* 1840. 2, p. 432 sqq., alteram, multis annis postea, *ibidem*, 1861, 4, p. 765 sqq. Quocum vero comparandus est PARETUS, *ibidem*, 1863. 1. p. 113 sqq., qui hîc lucem maxime petit. ex Genes. IV. 7.

3) *Ille* vid. in *Studien u. Krit.* 1854, p. 934 sqq., quem *hic* refutat suo in opere: *Jahrb. der bibl. Wissensch.* VI. 1853—1854, p. 138.

4) Vidd. denuo *Studien u. Krit.* 1855. 3. p. 593.

5) Prior illa ejus disp., de quâ postea etiam, alio loco nobis dicendum erit, exstat in WINERI et ENGELHARDTII *n. krit. Journal der theol. Literat.* B. VI. 1827; altera in op. *Studien u. Krit.*, 1858. 1, p. 122 sqq. Cujus disp. summam reposuit, multis laudatis, paucis repre-

Idem autem RAUCHIUS, quum nonnullis suam valde probâsset sententiam, adversarium nactus est FRID. KÖSTER., Stadae Hanoveriae in regno Superintendentem, qui ELSNERO atque OEDERO, in plerisque etiam HUTHERO se assentire profitetur [1]). Quibus omnibus tandem addantur STEINIUS, qui de altero quaerendo, quem attulerit Jacobus, V. F. loco non laborandum esse statuit, et S. HOEKSTRA B. f., qui de sect. 4—6, *interpretum*, quam jure vocat, *cruce* nonnulla animadvertit [2]).

SECT. 7. 8.

Proxime praecedentibus arcte haec atque apte connexa apparent. Quando enim superbis sui Numinis contemtoribus Deus adversatur, modestis vero piisque suis cultoribus eximia dat beneficia, et Illi ὑποταγῆναι nos oportet, s. 7, et ἐγγίσαι, s. 8. Quorum neutrum fieri potest, nisi, Diabolo resistentes, purgatis animis *integri vitae scelerisque puri* esse conemur.

Voc. ὑποτάγητε, ineunte s. 7, adjectivo respondet ταπεινοῖς laudato in *Proverbb.* dicto. Porro notetur, quam concinnâ sese alternent disjunctione ὑποτάγητε et ἀντίστητε, item Θεῷ et διαβόλῳ.

'Αντίστητε τῷ διαβ. Minime nobis sequendi sunt A. B ac *Sinait.*, qui multis cum aliis codd. nec paucis cum

hensis, IS. PRINS in (*Amst.*) *Maandschrift v. d. beschaafden stand*, 1858. 6, p. 330 sqq.

1) Vidd. *Stud. u. Kritiken*, 1859. 1, p. 120 sqq.

2) *Ille* vid. in Ephem. Germ. *Theol. Literaturbl. z. a. k. z.* 1858, N°. 20, p. 462 sqq.; *hic* vero in Ephem. Nederland. *Godgel. Bijdr.* 1860, 8, p. 642 sqq.

verss., post ἀντίστ. inserunt δέ; quod, librariorum more, fulciendae orationis caussâ inculcatum est. Neque enim viderunt quantam vim concitatae orationi plura haec concilient, nullo intercedente vinculo, cumulata monita brevissima. Recte igitur textum, ut erat in Receptâ, reposuit TISCH., neque eum, quod placuisse videtur HUTHERO, hocce δέ onerandum censuit. — Suo sane loco supra monita de ταῖς ἐπιθυμίαις praeceptum excipit ἀντίστ. τῷ διαβ. *Diabolo* enim *resistimus*, pravis non indulgentes cupiditatibus, peccandi illecebras vincentes atque opportunitates evitantes, Deique auxilium ne irriti illi sint conatus suppliciter implorantes. Minime tamen GEBSERO aliisque concedendum est per *accommodationem* tantum ad Judaeorum opiniones de *diabolo* h. l. dicere Jacobum, quum supra, I. 14, omnium peccatorum originem ex nostrâ repetierit ἐπιθυμίᾳ. Recte enim priorem ad locum monuit WIESING. ibi traditae doctrinae hîc complementum exstare. Nec extrinsecus incendi posse ac solere istam, quamvis vehementem, cupiditatem quisquam facile negaverit. Ac praeclare SCHNECKENB.: „*Nonne Jacobus*," ait, „*his verbis usus, pueriliter luderet, si diaboli opinionem* „*ipse rejecisset? Quis quaeso, in tantâ admonitionum se-* „*veritate, accommodationis, quam vocant, suspicionem ad-* „*mittat? Homo, quasi in bivio positus, aut superioris aut* „*inferioris potestatis vim, prout ipse dat aditum, experitur.*" Quam sapienter igitur adjicit Ap. καὶ φεύξεται ἀφ' ὑμῶν! tanquam devictus aliquis hostis, *vos fugiet*. Quo tropico dicto significatur: „Eum vos ejusque impetus repellere potestis ac *vincere*, dummodo ἀντίστητε." Hoc ipso igitur loco non nisi nostrâ culpâ, nostrâ ἐπιθυμίᾳ, a Satanâ nos irretiri ac pellici diserte docetur. — Idem prae-

ceptum, *Jacobum* imitatus, urget et amplificat *Petrus*, 1 ep. V. 8. 9. Tandem cum reprehensâ *mundi amicitiâ* apte et opportune illius conjungi mentionem, qui a JESU-CHRISTO *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου* vocatur, recte viderunt GEBS. et WIESING.

Ἐγγίσατε — ἐγγιεῖ ὑμῖν. Scite monente VAN-DER-PALM., in iis hoc censendum est C. S. dictis, quorum vim facile extenuet paraphrasis. Ejus certe suavitatem ac pulcritudinem nulla plane reponere potest interpretatio. Ex templi Israëlitici instituto ducta locutio ita, quamvis tenuiter, explicari potest: *Dei quaerite amicitiam. Sic suam quoque vobis amicitiam impertiet Ille.* Dicta cff. a GEBS. et HUTH. allata. — Verum imprimis sapienter conjuncta notentur praecepta *ὑποτάγητε* et *ἐγγίσατε τῷ Θεῷ.* Est enim Idem et praepotens Dominus et Adjutor longe benevolentissimus. Quocirca ita nobis est adorandus, ut quum piae *venerationis*, tum firmae *fiduciae* sensu Ejus cultus cernatur. Bini hi verae religionis sunt sensus, quos nemo unquam tam indivulso nexu nec tam arcto vinculo copulare nos docuit, quam ipsum post Christum ejus exemplo fecerunt Apostoli.

Καθαρίσατε — δίψυχοι. Bina haec ejusdem dicti membra sunt, eleganti ejusmodi connexa *parallelismo*, ut ex sese invicem supplenda sint atque in unam hanc resolvenda sententiam: *Manus purgate purosque reddite animos, o peccatores ac mente dubii* sive vacillantes. Tales profecto eos se praestare oportebat, qui *templum* (unde haec etiam ducta esse recte monet SCHNECK.) adeuntes, Dei ad communionem admitti cupiebant. Videbant igitur lectores, quid sibi, si non frustra Deo *ἐγγίζειν* vellent, prae caeteris faciendum incumberet. — Altera praecepti pars, ad

externas relata actiones, a male atque impie factis abstinere jubet; altera, ad animum relata, ex emendato eo ipso vitae integritatem efflorescere debere docet. — Ἁμαρτωλοὶ καὶ δίψυχοι illi erant, ineunte cap. reprehensi homines, qui Deo simul suisque servire conarentur *cupiditatibus*.

SECT. 9.

Hic [1]), si quis alius, locus Prophetarum nobis stilum in memoriam revocat ac severam gravitatem. Sed ipsius *Christi* dictum imitatur atque ornatiore refert enuntiato, quod nobis *Lucae* Euang. VI. 25, consignavit: οὐαὶ — οἱ γελῶντες —. Posteriore imprimis in hemistichio *membrorum* animadvertendum esse *parallelismum* vix est quod moneam. — Ταλαιπωρήσατε, *miseri estote*, id est, certissimâ instante clade, nunc jam ita *vosmet ipsos miseros sentite atque agnoscite*, ut *rebus in secundis mentem ab insolenti temperetis laetitiâ*. Vox κατήφεια, quae uno hoc N. F. loco scripta exstat, ex κάτω et τὰ φάη, pp. *vultûs demissionem* significat, hinc *tristitiam*.

Eos hîc increpari homines ex posteriore apparet hemistichio, qui effusis atque intemperatis sese immergerent vitae libidinosae gaudiis. Quales in luxuriosâ illâ *Joniâ* atque universâ in *Asiâ Minore* (cujus incolis, nisi primis, certe non ultimis epistola destinabatur) quam multi illâ tempestate ubique locorum viverent, nemo est qui ignoret. Hos igitur ut peccata dolerent eorumque poenitentiâ ducendos se curarent sapientissimus monet Apostolus.

1) Hîc ante κλαύσατε copulam καί solitâ negligentiâ omiserunt A. *Sin.* aliique nonnulli.

SECT. 10.

Ταπεινώθητε κ. τ. λ. Codicum imprimis A et B, quibus *Sinait.* [1]) et paucissimi quidam consentiunt alii, venerantes auctoritatem, art. τοῦ ante Κυρίου proscribunt LACHM., TISCHEND., HUTH. Quibus quominus meum adjiciam calculum innumeris impedior negligentiae ac socordiae exemplis, quibus in artt. vel abjiciendis vel inserendis, inquinatas esse binas illas membranas animadverti. — Praeceptum ταπεινώθητε quam accurate et cum ταπεινῶν laudatione, s. 6, concinat et cum monito ὑποτάγ. s. 7, nemo non videbit. Sed operae pretium est perpendere, quomodo, *Jacobum* denuo imitatus, *Petrus*, 1 ep. V. 6, eandem urgeat ac paullo plenius enuntiet adhortationem.

SECT. 11. 12.

Severiorem hominum profanorum, s. 1—10, compellationem lenitam hîc videmus ac mitigatam, ubi blando *fratrum* nomine lectores alloquitur Auctor. Cf. HUTH. Nec ambiguus tamen neque incertus hujus cum superioribus adhortationis nexus est. Cum maledictione enim ac calumniis, quae hîc condemnantur, arctâ cognatione supra reprehensa jurgia juncta erant ac concertationes. Nec minus longe a linguae maledicentis peccatis modo antea commendatae abhorrebant animi vitaeque virtutes. Quo paratior ac facilior ab harum laudatione ad illa averruncanda gressus erat ac transitus.

Καὶ κρίνων. Non in dubium revocanda vulgata haec

---

1) Solus hic, quantum novimus, post ταπεινώθητε inseruerat οὖν.

lectio, quam parum abest quin plane requirat orationis concinnitas: mox enim, ubi dictum resumitur, scriptum legimus καταλαλεῖ καὶ κρίνει. Novi quidem priore illo loco copulae καί disjunctivam particulam ἤ et ab A. B. *Sinait.* substitui et ab aliis nonnullis quum codd., tum verss. Quam lectionem et TISCH. in textum recepit et alii praetulerunt Critici. Verum longe plura sunt quae καί tueantur, quam quae ἤ, testimonia. Verss. autem, pro interpretandi, quâ saepe utebantur, libertate, vel hanc vel illam, ut cuique commodior videbatur, exprimere potuerunt. Ac fieri potuit ut καταλαλεῖν inter et κρίνειν, disjunctionis interjectâ particulâ, disertius distinguendum male seduli putarent scribae, vel, quod magis etiam mihi arridet, ut *gradationem* inducere vellent, quâ non solum *calumniari*, sed ipsum etiam interdiceretur *judicare*. Nec raro enim severe dicta severiora etiam reddenda putârunt. Alia vidd. a REICHIO probabiliter monita.

Magnam vim verborum νόμος et κρίνειν habet *repetitio*. Unâ enim hâc sect. 11 *quater*, variis casibus scriptum invenimus νόμος, *ter* varie item inflexum κρίνειν, accedente etiam conjugato subst. κριτής.

Suâ quâdam eâque eloquentissimâ ratione JESU-CHRISTI praeceptum μὴ κρίνετε, *Matth.* VII. 1 repetit, urget atque amplificat *Jacobus*. Aliâ denuo ratione eandem caussam agere consuevit *Paullus*. In diverso τρόπῳ παιδείας, quanta doctrinae consensio!

Κρίνειν post OECUMEN., SEML., AUG., HOTT., GEBS., BRETSCHN. in Lex., alii explicant *condemnare*. Quorum sententiam nemo ita capiat oportet, ac si idem sit quod κατακρίνειν. Vel sic tamen κρίσις, cum καταλαλιᾳ con-

juncta, non poterat non *iniquior* esse atque *acerba;* quamquam hoc ex contextu potius apparet, quam ex ipso, quod per se mediae potestatis est, vocabulo. Non autem quaecunque de aliis ferantur judicia, sine discrimine hîc improbantur, sed ea imprimis, quae vulgo nunc dicuntur *de alienâ conscientiâ.* Multis enim sententiarum divortiis, e. gr. de sabbati veneratione, de licito vel illicito ciborum usu, caet. primi discindebantur epistolae lectores. Quibus ex dissensionibus litibusque sponte hîc reprehensa exsistebant vitia atque injuriae. — Memoratum hîc *νόμον* alii legem *Mosaeam* interpretantur, alii *νόμον βασιλικόν*, supra II. 8 laudatum. Enimvero *universa* potius est intelligenda *lex divina*, ea continens, quae nullis non hominibus vel praecipit Deus vel interdicit. Non arctius enim hîc limitandus est *νόμος*, quam mox *νομοθέτης*, quo non hujus illiusve gentis *Legislator* appellatur Deus, sed omnium, quotquot creavit, hominum.

Jam vero, quo jure ipsam hanc *legem calumniari* atque inique eam *judicare* dicitur, qui fratris judicem sese ferat? In socio nimirum ea ipsa condemnabat, quae licita divina lex declararet. Quâ judicii severitate atque iniquitate sic se jactabat, ac si nimiâ peccaret illa lex indulgentiâ. Quo facto illam ipsam improbare atque adeo vituperare censendus erat. Ita CLARISSIUS, quocum fere consentit VAN-DER-PALM. Quae eorum interpretatio hanc ab *historiâ* commendationem habere videtur, quod ne eas quidem de Dei cultu dissensiones placide ferre vellet multorum acerbitas lectorum, quae neminem quominus pie Patrem luminum coleret impedirent. Quas igitur sedare volebat ac pacare Jacobus. Etenim tunc jam,

ut saepe postea multo severiores hominum judices *homines* erant, quam, qui per JESUM-CHRISTUM ejusque Legatos de sequendis fugiendisque eos admonebat, Deus O. M.

Sect. 12 mihi quidem, ut plerisque Criticis recentioribus, satis certo constitit post νομοθέτης addendum esse καὶ κριτής, quod habent A. B. *Sin.* aliique diversarum classium *quadraginta* amplius codd., pleraeque vetustissimae verss., in quibus Syriaca utraque, item Patres nonnulli. Quod igitur recte TISCHEND. aliique nostri temporis editores in textum receperunt. Interpretibus autem, hujus rationis patronis, quos recensuit REICHIUS, cujus non negligenda est disputatio, addatur VAN-DER-PALM. Vere autem monente GEBS., addito demum voc. κριτής, commode disjunguntur sectt. 11 et 12, quum *huic* caeteroquin ad sententiae integritatem aliquid deesset. Omissi autem vocabuli haec maxime probabilis mihi caussa fuisse videtur, quod in eandem syllabam της et νομοθέτης exit et κριτής. Quo facilius aberrare poterant librariorum *oculi.* Quâ ipsâ animadversione omnino mihi locupletanda videntur Criticorum de h. l. monita.

Alterum hujus sect. incisum ita particulâ δέ augendum est, ut legatur: σὺ δὲ τίς εἶ; quâ disjunctionis particulâ inserendâ cum A. B. *Sinait.* consentiunt G. K aliique, 50 fere, TISCHENDORFII ex computatione, codd., tum utraque Syriaca aliaeque verss. Qui ejusmodi est horum testium consensus, ut dubitari nequeat quin ab aliis, et numero et auctoritate minoribus, solitam per socordiam illud neglectum sit δέ, quod ab ipsâ requiri videtur orationis consequentiâ. Quum praesertim *Jacobus,*

utut non raro orationis vincula omittat, ea tamen, ubi eorum defectus justo dissolutiorem redderet orationem, desiderari non patiatur.

Tertia hujus sectionis memoratu digna haec est lectio varians, quod pro vulgato ὃς κρίνεις habent ὁ κρίνων A. B *Sinait.* aliique nonnulli codd., quam lectionem non contemnendam quidem GRIESB., praeferendam vero duxerunt GEBS. et WIES., in textum recepit TISCHEND. Mihi vero, paullo minore vel amore vel veneratione codd. A. B ac *Sinait.* prosecuto, hîc longe pluribus cum testibus vulgatam retinere liceat. Paullo duriorem enim sonum ex dicto exsistere: σὺ δὲ τίς εἶ ὃς κρίνεις; elegantes scilicet animadvertebant *Alexandrini* isti. Cujus igitur soni duritiem ut emollirent lenirentque, perperam scripserunt ὁ κρίνων.

Ultimae tandem sect. 12 voci ἕτερον multi sunt gravesque testes qui substituant πλησίον. Ita enim A. B. *Sinait.* pluresque varii generis minuscc., et vero, quod omnino attendendum est, verss. tantum non omnes. Item consentit THEOPH. Atque hic sane locus est, de quo, internis usus argumentis, in utramque partem disceptare possis. Πλησίον enim invito Auctori a librariis obtrudi potuit, quo gravius dictum redderent ac significantius, quod, post bis memoratum sect. 11 τὸν ἀδελφόν, justo tenuius censerent. Quae tanta mihi olim videbatur probabilitas, ut praeferendam ducerem receptam. Sed item contrario fieri potuit errore ut hebraizans illud πλησίον, si germanum esset, *Alexandrinis* displiceret aliisque purioris Graecitatis studiosis librariis. Quum igitur et pro hâc et pro illâ voce ex internâ utriusque ratione probabiliter disputari possit, eam sequi lectionem

nunc tutius mihi videtur, quae longe certius, quam altera, testata est, id est πλησίον.[1]).

Εἷς ἐστὶν — ἀπολέσαι, *unus est legislator ac judex;* Ille nimirum, *qui servare potest et perdere.* Sic, recte docente GEBS., vertendum est dictum, quod minus accurate reddiderunt LUTH., Interpretes Nederl. aliique. Omnino acuendum est vocab. εἷς, quo diserte alii, qui legislatores se jactent ac judices, excluduntur. Quâ vero de caussâ soli hoc jus competit Deo? Quoniam solus Ille *servare et perdere potest*, solus ita earum, quas dedit ipse, legum auctoritatem tueri, ut obedientibus praemia det, secus facientibus poenas irroget. Quo turpius igitur censendum erat piaculum, si haec unius Dei jura sibi petere sibique vindicare mortalis auderet. — Dictum profecto hoc est, quod ipsâ brevitatis concisione litigantium animos ac maledicentium pellere deberet ac pungere.

SECT. 13 sqq.

Proximâ cum sectione 12, quae et praecedentium corollarium erat monitorum, et sequentia praeparabat ac quasi fundabat, ita haec dicta satis arcte cohaerent: „Quando solus omnium legislator est judexque Deus, ab unius Illius voluntate quum fata nostra suspenduntur, tum propositorum exitus. Quam stolidi igitur vos, qui quasi vestris sortibus praesitis ipsi, sine Deo feliciter vos vitam agere posse et votorum compotes fieri opinamini!" Quaenam enim sint quae hîc singulatim

1) Quam lectionem *testimoniis superiorem* esse ipse etiam fatetur, qui alteri favet, REICH.

reprehendantur, ex sectt. 15. 16 apparet. Eorum erat sentiendi vivendique ratio, qui nullam, vel consilia capiendo vel res ordinando vel agendo, *Dei* rationem haberent, qui, divitiis inflati, sibi se sufficere opinarentur nec a Dei Numine ac voluntate se pendere meminissent. Neque enim dubitandum quin in opulentis istis *Judaeis*, qui per mercaturam magnum, eumque non raro illicitum quaestum faciebant, multi essent qui impiam illam Deique oblitam, quam hîc Apostolus depingit, vitam agerent. Quodammodo Domini conferri potest de *insano* isto homine *divite* parabola. Atque ipsum hunc mercatorum Judaeorum *characterismum* in parabolam convertere licet.

SECT. 13.

Hocce in loco constituendo non facile dixerim utrum vehementius antiqui dissentiant testes, an recentiores Critici. Primum enim vulgato *σήμερον ἢ αὔριον* substituunt *σήμ. καὶ αὔρ.* A. G. K. aliique multi, in quibus tamen non est *Sinait.* Hoc igitur TISCH. aliique ediderunt pluresque probârunt. Deinde non desunt codd., qui pro quatuor illis, quae una haec sect. continet, *Indicativi futuris* totidem ponant *Conjunctivi aoristos primos:* deinceps enim scribunt *πορευσώμεθα*, *ποιήσωμεν*, *ἐμπορευσώμεθα*, *κερδήσωμεν*. Quamquam sunt etiam qui utrumque inter Modum fluctuent vacillentque. Veluti memorato in *Sinait.* scribitur quidem *ποιήσωμεν*, sed tribus id comitantibus *Indicativis*. Jam vero textûs recepti ita se patronum fert GEBS., ut Conjunctivi *futura* Graecorum linguam non admittere multis demonstrare studeat.

Enimvero non tali auxilio nec istâ defensione caussam *Indicativi* egere recte demonstravit THEILIUS. Nam et sub judice lis est illis de futuris quaestio, de quâ varias in partes nuper doctissimi disputârunt harum rerum arbitri [1]). Nec nostro cum loco quicquam ea commune habet. Nam si quis forte *Conjunctivum* huc inferre cupiat, ejus certe *aoristos primos*, non *futura*, requiri nobis assentiat oportet.

Mihi autem in hâc excutiendâ lectionum varietate eo breviori esse licet, quo accuratius quaecunque ad eam judicandam vim habent recensuit REICH. ac pertractavit. Cui quum plane hîc consentiam, parum subtilis videri malo disputator, quam non satis verecundus alieni scrinii expilator. Illum igitur consulendum commendans, rationes, quae receptum hujus sect. textum retinere suadeant, quam brevissime potero exponam. Utrumque igitur inter verborum Modum misere fluctuantibus membranis, *Indicativos* singulis, quos dixi, locis vetustissimae fere et optimae exprimunt *verss.*, quarum eo graviora hâcce in caussâ censenda sunt suffragia, quoniam non tam facile, quam *codd.*, *auditûs* ex errore vitii quid trahere poterant. In codice enim scribendo si, altero in calamum dictante, versabatur alter, magnum huic per sonorum ο et ω similitudinem male audiendi et male

---

1) De quaestione, utrum *Conjunctivi futurum* aliquod recentior habuerit Graecorum lingua, copiose disputant BUTTMANN. l. l. p. 31 sq. WINER. p. 70 supra, coll. p. 79 infra. Quibuscum conf. SCHIRLITZ. *neutestam. Gräcität*, p. 166. Eorum tamen nemo, his certe locis, Jacobi dictum memoravit. Itaque frustra ibi ejusmodi *fut. Conjunct.* quaeri recte vidisse videntur.

pingendi periculum exsistebat [1]). Deinde sibi placentium hominum Deique oblitorum fastum atque arrogantiam longe efficacius acriusque *Indicativi* deformant, quam *Conjunctivi*, qui de consiliis capiendis vel secum vel cum aliis *deliberantes* eos faciunt. Ad hos ipsos vero praeferendos per male intellectas probabiliter inducti sunt librarii et cum profanorum oratione conjunctas eas, quibus locum aperit Auctor, voculas *ἄγε νῦν*. Quae omnia quum ita sint, retinendos esse *Indicativos* longe plerique in iisque ipse TISCHEND. statuunt. Ita autem, sicuti res et ratio docet, loco constituto, vix aut ne vix quidem sese tueri potest, quam particulae *ἤ* multi substituunt, copula *καί*. Haec ne plane inepta sit neve cum REICHIO absurda dicenda, plures ponit ac nos ponere jubet secum invicem consilia conferentes mercatores, quorum alii quidem hodie, alii vero cras proficisci cogitent. Sed quam misere dictum enervatur et quam elumbe redditur, si audacibus sibi fidentium negotiatorum propositis mutua ista plurium vel deliberatio substituitur vel cohortatio! Testium quidem auctoritate aemulae voculae praevalet *καί*. Sed si *haec* etiam, quod non raro fiebat, unâ indicabatur litterulâ, levissimo oculorum errore *illius* sibi locum vindicare potuit ac probabiliter vindicavit.

Ἄγε νῦν οἱ λέγοντες. Arcte haec conjungenda sunt. Ita enim rerum suarum nimis securos ipse *Apostolus* compellat mercatores.

Σήμερον ἢ αὔριον. Sic sua hîc jactant proposita, quasi nullus sit, qui ea irrita reddere possit, Deus. Atque

1) Frequenter in codd. vocales permutari *ο* et *ω* verissime multos post alios docuit REICH. p. 228 in annot.

ita de *crastini* etiam *diei* consiliis gloriantur; quod eo dementius, quoniam ne sciunt quidem τὸ τῆς αὔριον. Quod quam insanum sit proxima sectio huc respiciens illa lucide ostendit.

Εἰς τήνδε τὴν πόλιν, *hancce in urbem*. Accurate definitam et diserte indicatam, quo proficisci velint, urbem nominare censendi sunt. Est e vitâ communi ducta locutio, aliarum etiam linguarum usu trita. In cujus interpretatione quid reprehendat WINER. [1]) non satis me perspicere fateor.

Ποιήσομεν — ἕνα [2]), *unum per annum commorabimur*. Ut hîc vocab. ποιεῖν, sic a Latinis nonnunquam v. *facere* usurpatur. Vid. POTT. Quamdiu in nominatâ illâ, quo tendunt, urbe commoraturi sint veluti centro ac circino circumscribunt definiuntque adeo tam accurate ac tantâ cum confidentiâ, quasi *sui* plane, non *Divini* res sit arbitratûs. Omnino igitur vim suam retinet ἕνα ac nequaquam indefinite poni censendum est. Quod recte docuit WINER. [3]).

Ἐμπορευσόμεθα, *mercaturam faciemus*, *negotiabimur*, ab ἔμπορος, *qui mercaturae caussâ navigat*. Istos igitur tanquam nostros ante oculos depictos videmus, de futuris suis et domiciliis et fatis et factis tam certâ pronuntiantes auguratione, ac si nullum unquam vitae minitetur periculum ac nulla ipsis instet moriendi necessitas.

---

1) Pag. 146. Ubi videant acutiores nonne nodum in scirpo quaerat Vir in paucis magnus. Ibi autem pro πορευσώμεθα legendum esse πορευσόμεθα ex supra disputatis apparet.

2) Recte GRIESB., TISCH. aliique Critici, codici B. *Sin.* 36 unique et alteri testi Latino, ἕνα omittentibus, non obsecuti, optime testatum hoc retinuerunt vocab.

3) Pag. 107.

SECT 14.

Pergit nunc ac continuatur, quam proximâ sect. aperuerant vv. ἄγε νῦν, impiorum hominum compellatio. Quorum igitur arroganti jactationi terrificum fere subjicit reponitque eorum de stoliditate monitum, qui in fluxâ admodum atque incertâ, quam agerent, vitâ certae longaeque prosperitatis spem reponerent atque exspectationem.

Τὸ τῆς αὔριον, nempe πρᾶγμα, *quid futurum sit cras.* „*Hoc firmum nostrum est, quod nemo quisquam irritum* „*faciet, decretum: in illâ singulatim, quae praeplacet,* „*civitate nec breviore nec longiore, quam unius hujus anni,* „*spatio commorabimur.*" Ita fere insolentes isti. „*Enim*„*vero ne in crastinum quidem diem vestram prorogatum* „*iri vitam vobis constat.*" En salutari eos rubore suffundentis Apostoli dictum adversum. Eum enim, ubi quam incertae crastinae sint res docet, caducam singulatim mortalium vitam spectare ea demonstrat, quae mox sequitur, comparatio.

Ποία [1]), *qualis,* i. e. quam brevis ac caduca! AUGUST. quidem *herbam* etiam sive *gramen* significare vocem animadvertit. Quae sententia in *Hesychii* glossâ aliquâ praesidii quid habet. Verum nec ipse hanc praefert

---

1) Quod proxime hanc vocem sequitur, γάρ omisit B ejusque errorum saepe socius *Sinait.*, cujus vero vitium sustulit Corrector. — Alterum quidem γάρ post ἀτμὶς retinet B, sed negligit A. Neutro autem loco plane desunt, idem peccantes, verss. Peccata enim haec sunt, vel ex ignorato loci nexu orta, vel ex elegantiae studio, quod tantillo spatio repetendum non putarent idem γάρ. Recte igitur post alios Receptam sequitur TISCHEND.

interpretationem et, vere monente THEILIO, sola *simplicitatis* laudem ea habet, quam, omnibus fere consentientibus interpretibus, commendavimus.

Ἀτμὶς γάρ ἐστιν. Sicut non raro, apud ipsum etiam *Ciceronem*, Latinum *nam* et *enim*, ita hîc γάρ ab omisso pendet, quod cogitatione supplendum est, enuntiato. Plene enim dixeris: *Qualis vestra est vita?* fluxa nimirum et caduca: *nam vaporis instar est.* Sed, quod per se satis efficax erat ac severum, monitum efficacius etiam ac severius, suo pro more reddendum putârunt librarii. Quo eorum nisu ac conatu factum esse videtur ut vulgato *praes.* ἐστίν alii *fut.* substituerent ἔσται, alii crassius etiam 2 *p. plur. praes.* ἐστέ, *vapor* aut *vapores vos estis* ipsi. *Illam* longe plurimi habent variantem, pauciores *hanc*, vulgatam vero, a codd. minus testatam, non omnes quidem, sed pleraeque verss. antiquae. THEILIUM quid impulerit ut in textum reciperet ἐστέ, quod alteri lectioni variae auctoritate, vulgatae probabilitate postponendum est, me non satis perspicere fateor. Sed, quicquid sit, cum REICHIO plurimisque cum aliis Criticis retinendam esse Elzev. ἐστίν eo probabilius existimo, quo crebriores passim codicum errores sonorum αι, ι atque ε vicinitas peperit ac confusio.

Caeterum pro ἔπειτα δέ, quod correctorum emendationem redolere HUTHERO consentiendum est, A. B. *Sinait.*, K. multique alii varii generis testes paullo exquisitius legunt ἔπειτα καί. Quod eorum auctoritate amplexum esse TISCH. non est quod improbemus. Male vero procul dubio cod. *Sinait.*, qui solido etiam caret inciso ἀτμὶς γάρ ἐστιν.

SECT. 15.

Idem fere, quod sect. 13 animadvertimus, *Indicativi* ac *Conjunctivi*, id est vocalium ο et ω, hîc repetitum videmus atque instauratum certamen. Ubi utrum *longa* praeferenda sit, an *brevis* vocalis eo difficilior nobis quaestio objicitur, quo majus errandi periculum ex soni similitudine librariis exsistebat, et quo incertiora igitur hîc eorum nobis redduntur testimonia. Quod ejusmodi est ut non solum codd. ac versiones antiquae, hâc in caussâ prae codd. audiendae illae, in diversas discedant partes, nec solum ii vehementer dissentiant, qui totam sibi interpretandam sumserunt epistolam; sed ut bini etiam Critici acutissimi, FRITZSCHIUS, Rostochiensis, ac BORNEMANNUS, singularibus editis disputationibus, satis acriter de loci textu constituendo decertârint [1]). Mihi quidem, ut brevissime quod sentio dicam, GROTII ratio placet, quam amplexi sunt CARPZ., HOTT., SCHULT., POTT., THEIL., quamque accurate et docte defendendam curârunt FRITZSCH. et REICH. Quorum ex sententiâ in *Conjunct.* legendum est ζήσωμεν, in *Indicat.* vero ποιήσομεν, ut periodi apodosin verba aperiant καὶ ποιήσομεν. Quae ita vertenda videntur: *Si Deus voluerit et vivamus,*

---

1) *Ille* quidem primum in Ephem. *Leipz. L. Z.* 1824, p. 2316 sqq., iterum in WINERI et ENGELHARDTII *N. krit. Journal*, *Vol.* V. 1826, p. 3 sqq.: — *hic* vero eâdem in Eph. Vol. VI. 1827, p. 129 sqq. Utriusque de sententiâ accurate retulerunt WINER. *Gramm* p. 256, qui cum FRITZSCHIO quidem legit ζήσωμεν, sed cum BORNEM. ποιήσωμεν, et THEIL. ad h. l. p. 243 in annot Cf. BUTTMANN. l. l. p. 181, qui cum BORNEM, facit, et SCHIRLITZII *Grundz. der neutestam. Gräcität*, p. 291, qui quodammodo a WINERO se dissentire profitetur.

tum igitur, vel *tum etiam hoc illudve facturi sumus.* Ζήσωμεν cum G. K. plurimi habent minuscc. codd. et verss., item THEOPHYL. et OECUM. Quo quidem cum *Conjunctivo* de principatu dimicat *Indic.* ζήσομεν, qui sibi faventes habet A. B. *Sinait.*, non ita multos vero codd. minuscc. nec ullam fere versionem. Atque hanc lectionem et minus bene testatam esse existimo, et ex copulae καί, apodosin hîc aperientis, rariore usu natam, cujus ignoratio in errorem scribarum adduceret imperitiam. Eamque utcunque explicueris, frigida erit nec loci gravitati conveniens, quae hinc exsistat, sententia. Quod clare ii demonstrârunt, quos imprimis consulendos commendavi, Duumviri.

Sed, si *Conjunctivum* praeferimus ζήσωμεν, non item *Conjunct.* ποιήσωμεν, melius quidem testatum illum, quod ad antiquissimorum, quos dixi, codicum auctoritatem plurium accedit versionum interpretatio. Verum *Indic.* ποιήσομεν, qui neque ipse pluribus caret iisque idoneis testibus, unice indoles dicti commendat ac consilium. Omnia enim nisi me fallunt, deliberationi aut sociorum mutuae cohortationi, quam indicat *Conjunctivus*, ne commodus quidem locus hîc esse aut fingi potest. Nimirum proximâ conjunctione cum sect. 13 h. l. cohaerere nemo est quem fugiat. Perspicua est, quâ cum superioribus haec connexa sunt, *disjunctio.* Impii enim, quos ibi arroganter quid agere velint jactantes audivimus mercatores, piis illis opponuntur, qui hîc loquentes informantur, hominibus. Sed hos inter et illos quid discriminis intercedit? Non *propositorum* hoc est: nam utrique terrestribus suis prospicere volunt negotiis ac commodis. Sed *sensuum* est et animorum diversitas. Graphice enim

loquentem Apostolum saepe externas nuncupare actiones aut voces, quo clarius mentium sensa describat ac commotiones multis jam nobis constitit exemplis. Quod hîc omnino nobis usu venit. Animorum igitur, quos nulla tangeret nec commoveret supremi Numinis veneratio, superiora illa dicta insolentem pinxerant arrogantiam. Sensuum contra, quibus nullis non in rebus summum Dei arbitrium agnosceretur ac potentia, modestam pietatem has describere voces videmus. Jam vero audacter sua consilia impii isti profitebantur, qui ποιήσομεν κ. τ. λ. inquiunt, nihil dubitantes, nec quicquam reformidantes. Quomodo igitur eos, qui non suis in viribus, sed Dei in benignâ voluntate atque auxilio fiduciam reponerent, ita nutantes, vacillantes, de iis, quae sibi agenda essent, si forte, consulentes facere poterat *Jacobus*, ut dictum iis tribueret, animum incertum prodens ac suspensum, ποιήσωμεν in *Conjunct.?* Praeclara scilicet ista sit pietas, quae a Deo quidem se pendere sentiat, sed ita Ei diffidat, ut timida sit et demissa! Quid multa? Vel ποιήσομεν (minime vero ποιήσωμεν) scripsit Auctor, vel sui oblitus esse censendus est eorumque, quae, I. 5. 6, de *sapientiâ* praeceperat, non dubitanter, sed ἐν πίστει a luminum Patre petendâ.

Quod reliquum est, si qui sunt, quibus nec nostra haec probentur nec acutiora FRITZSCHII ac REICHII disputata, iis optio facienda est, velintne, WETSTENIUM, BORN., GEBS., item TISCHEND. aliosque secuti, utroque, de quo quaeritur, loco *Indicativum* amplecti, an vero cum WINERO aliisque et priore et altero *Conjunctivum* tueri.

Tandem ne Auctoris contra mentem nimis κατὰ τὸ ῥητόν locutio caperetur: *si Deus voluerit vivamusque,*

nostra satis cavisse videtur interpretatio. Quae vero si forte ad Apostoli consilium perspiciendum non sufficere censeatur, et POTTII monita consulas velim, et OECUMENII ac CALVINI, tum etiam PLATONIS in *Alcibiade* diversi generis dicta, quae ad h. l. retulit THEIL. Nam neque illa neque haec te legisse poenitebit.

SECT. 16.

Νῦν δὲ καυχᾶσθε κ. τ. λ. Posteaquam et impiorum *dicta* castigârat epistola et quae iis substituenda esset piae modestiae oratio monuerat; concinne nunc ac graviter inanem illorum reprehendit *gloriationem*. „Nequaquam hoc facitis, inquit, ut a Deo vestra pendere consilia profiteamini. Longe alia sentiendi vobis placet loquendique ratio. Gloriamini nimirum" caet. Plura vidd. apud THEIL. et GEBS.

Ἐν ταῖς ἀλαζ. ὑμῶν, *multiplici vestrâ in arrogantiâ ac jactantiâ*, i. e. dum huic vos servire vitio demonstratis. *Pluralis*, ne quis pro *sing.* numero dictum putet, diversissimi generis vias complectitur rationesque, quibus animi patefacere possis insolentiam. Locupletiorem igitur atque ampliorem reddit sententiam, quo effertur, numerus *pluralis*. Verum adjicio THEILII monitum ibi universe ἀλαζονείαν exstare docentis, ubicunque nimium *sibi* quis confidit ac sibi tribuit, quae suae non sunt facultatis nec sui juris.

Πονηρά ἐστιν per proximae sectionis dictum illustratur ἁμαρτία αὐτῷ ἐστίν [1]).

1) Vix memoratu dignum est quod, ut paullo durior evitaretur duarum litterarum concursus, pro πᾶσα scribit ἅπασα *Sinait.*

SECT. 17.

Egregium hoc apophthegma, quod apte admodum concludit argumentum ac dilatat, non debuerat post BAHRDT. spurium declarare HOTTINGERUS. Cujus de male cohaerente oratione disputatio nequaquam, ut par erat, stili Jacobei attendit velocitatem. Vestram enim fidem, lectores! num ejusmodi esse hoc dictum putatis, tam grave illud locoque appositum, ut ex librarii alicujus aut correctoris stupido nasci potuerit ingenio?

Καλὸν ποιεῖν, ex contextâ oratione, id singulatim significat, ut, quodcunque moliamur, *Deum* cogitemus nec, nisi Eo annuente, ullius nos voti compotes fieri posse recordemur. *Verba* modo antea memorantem eum, intima *sensa*, unde manarent illa, spectare non est quod repetamus. Quid, quod tam generale est effatum, ut ad nullam non vitae humanae partem regendam, ad nullum non, quod temere negligatur, officium possit accommodari debeatque. — Jam ab egregio moniti Doctore, quomodo pulcre pieque sibi vivendum esset, accurate *noverant* lectores. Quicunque autem ea *cognovit* nec tamen colenda curat officia, ἁμαρτία αὐτῷ ἐστίν, *Divino illi judicio tanquam peccata spreta illa aut neglecta imputantur officia.* Ubi non sine caussâ repetitur nec abundare censendus est dativus αὐτῷ, *illi ipsi*, qui hujus reus est delicti, neque igitur in alium quemquam ejus conjicere poterit culpam.

CAPUT QUINTUM.

sect. 1—6.

Quo attentius, uno deinceps tenore, Cap. IV. 13—V. 6 legerimus, eo certius undecim hisce ex vulgari divisione sectionibus unam contineri majorem sectionem, unum aliquod dicendorum caput, nobis persuadebitur. Cujus loci utraque pars, plane iisdem a verbis ἄγε νῦν, et IV. 13 et denuo V. 1, inchoata, homines severe compellat *divites*. Quo quidem nomine diserte demum, alterâ ineunte loci parte, V. 1, appellantur. Sed eodem etiam nomine ii, ad quos priore loci parte, IV. 13 sqq., convertitur oratio, non injuriâ dici potuerant. Quod ex iis, quae de eorum consiliis ibi relata legimus, luculenter apparet. Neque enim *pauperes* aut universe tenuioris sortis homines id sibi, nisi delirarent, proponere poterant, ut quaestûs faciundi caussâ longinqua susciperent et sumtuosa itinera, atque ut solidum per annum in exterorum emporio aliquo commorarentur. Ne dicam non nisi paullo lautioris conditionis mercatores merces, ut assolebat, secum in emporium illud ferendas curare potuisse, quas cum aliis, quae ibi venum irent, permutarent. Sed si iidem habendi sunt, qui IV. 13 sqq. et qui V. 1 sqq. *divites* compellantur homines; non minus arcto et *illorum* et *horum* vitia connexa erant vinculo. *Illorum* enim hoc praecipuum erat crimen, quod *sine Deo* vivere se posse ac suo pro lubitu agere opinarentur. *His* autem, V. 4—6, et iniquitas erga mercenarios objicitur et vitae voluptatibus deditae luxuria et judicio-

rum, quae exercebant, injustitia. Jam vero ex illo, quem hodierno dicere licet more, *practico Atheismo* sive Dei oblivione, pleno tanquam loco cuncta haec manare vitia, nullius non temporis docet experientia. Neque est quod alterâ demum loci parte *divites* illos diserte nominari miremur. Haud aliter enim *Paullum*, ep. *ad Rom.* Cap. II ab initio ad *Judaeos* orationem convertere plerique recte consentiunt interpretes. Sed, sect. demum 17, nominatim dicentem eum audimus: σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ.

Quae diximus illustrat *historia* ac confirmat. In *Judaeis* enim, per varias orbis antiqui partes regionesque dispersis, multi erant qui per fas ac nefas magnas sibi corrasissent opes ac divitias. Quarum comparandarum praecipuam iis opportunitatem dederat, quam factitabant, *mercatura*. In horum autem numero non pauci erant, qui et impiam ac dissolutam agerent vitam et egenos immaniter vexarent spoliarentque. Quorum durâ tyrannide nulli vehementius premebantur, quam *Christiani*, primo Ecclesiae nascentis tempore inter Judaeos delitescentes illi cum iisque fere commixti. Eorum autem, quos diximus, opulentorum hominum, nonnulli CHRISTI quidem sacra amplexi esse videntur nec cum religione tamen mores mutâsse atque emendâsse. In primis enim Judaeo-Christianis nullos plane fuisse *ditiores* nec usquam docet historia nec ut credamus nostra haec permittere videtur epistola. Quocirca longe quidem abest ut cum MORO ac VAN-DER-PALMIO solos hîc compellari putem locupletes *Christianos*, sed non magis eos, quod aliis placuit, plane excludendos existimo. A partium studio, si quis alius, aversus Apostolus non

omnes profecto sine discrimine divites reprehendit, sed nemine excepto eos, qui, sive antiquae legis *Judaeos* sese dicerent seu *Christianos*, in Deum impii essent, in egenos duri atque iniqui, sibi nihil non indulgentes. — His igitur tragico incedens cothurno, vel, quod dicendum potius mihi fuerat, prophetico spiritu incensus ac fervore, gravissima, nisi resipuerint, mala eaque proxime instantia comminatur CHRISTI hic Legatus.

SECT. 1.

Κλαύσατε ὀλολ.., *plorate plangentes*, lamentantes. Externus hic lacrimantium ac pectora plangentium habitus gestusque lucidâ veluti tabellâ, internas pingit, quibus agitandi essent animi, commotiones. Notetur autem, quam acri, quam terrificâ voce securae, quam alerent (IV. 13), lucri spei severa haec malorum opponatur comminatio. Istis quidem longe plura sibi acquirendi certa (at quam incerta!) blandiebatur exspectatio. *Propheta* contra eorum, quibus et utebantur et gloriabantur, omnium amissionem reformidare eos jubet.

Ἐπὶ ταῖς — ἐπερχομέναις [1]). Ad gravissimas haec refero calamitates, quae, quo tempore *Hierosolymae* vel proxime instabat vel eam delebat excidium, universam manerent Judaeorum gentem. Eâ enim tempestate multi etiam exteri Israëlitae, fratribus opem laturi Palaestinensibus, miserrimo quoque fato perierunt. Interim eorum plures etiam, qui domi se continuerant, Roma-

1) Post ultimam hanc vocem glossema ὑμῖν paucis cum aliis addit *Sinait.*

norum a Magistratibus et militibus, quorum acerrimum nunc in praeputiatos odium exarserat, ultima quaeque patiebantur. Cum dictis SCHNECKENBURGERI cff. et CLARISSII imprimis, unde nonnulla hausimus, monita historica. — Post OECUMENIUM ZWINGLIUS, CALV., GROT., POTT., GEBS. mala hîc praesignificari putârunt, quae, quo tempore rediturus esset JESUS-CHRISTUS, Judaeis metuenda essent. Non intercedo, si proximus ille adumbrari censeatur, quo spreti Messiae poenas luerit Hierosolyma, Domini reditus. Sin ultimam Christi παρουσίαν hîc forte significatam opinentur, non magis assentio, quam si quis, quod prae manibus est, e longinquo aliquo loco id petendum esse contendat.

SECT. 2. 3.

Ὁ πλοῦτος — γέγονεν. Prophetarum morem imitatus stiloque usus, *futura* hîc tanquam *praesentia* jam, immo tanquam *praeterita* deformat Auctor; quippe quae eâ augurationis evidentiâ praedicantur atque exspectanda sint, ac si exitu jam consummata fuerint [1]).

Ὁ πλοῦτος — σέσηπε, *putrefactae vestrae sunt divitiae.* Insignis opum apud Orientales pars arvorum cernebatur reditibus. Jam, quod vere animadvertit VAN-DER-PALMIUS, proprio maxime sensu *putrescere* poterat atque ita plane absumi *frumentum.* Possis etiam, paullo latiore notione, v. σήπεσθαι *corrumpi* explicare atque *omnes terrae proventus* intelligere, non frumentum solum, sed oleum

1) Vid. WINER, p. 245.

etiam, vinum, ficus caeterosque arborum fructus. Ita post ESTIUM SEML. et GEBS.

Καὶ τὰ ἱμάτια, *per tineas* ornatiora *vestra sunt absumta vestimenta.* Triplicis imprimis generis Orientalium fuisse divitias, *frumenta*, *vestes* pretiosas, *metalla* lapidesque nobiliores, multis et veterum dictis constat et peregrinatorum testimoniis. Cf. *Matth.* VI. 19, ubi, sicuti h. l., tria illa memorari divitiarum genera multi putant. Est certe *Jacobi* cum vaticinio *Christi* dictum comparandum. De *vestium* singulatim apud veteres multitudine ac copiâ *Horatii* locus consulatur, a THEIL. allatus.

Ὁ χρυσὸς — κατίωται. Vertendum est primum hoc sect. 3 incisum: *aerugine aurum vestrum et argentum obducitur* vel consumitur. Κατιόω enim, *aerugine obduco*, *tego*, *perdo*, ab ἰός descendit, quod, etsi non unam habet potestatem, hîc tamen mox indubiâ ponitur *aeruginis* notione. Auctoris enim more ad praecedens hoc respicit, derivatum inde, verbum κατιόω. Nec difficultatem Physicorum parit monitum, quod *purum* est, *aurum* nulli obnoxium esse aerugini docentium. Vasa enim, calices, utensilia aliasque multas res, utroque ex metallo, sed non puro illo, conflatas intelligere possumus. Cujus interpretationis auctor nobis est GEBS.

Καὶ ὁ ἰὸς — ὑμῖν ἔσται, *aerugo eorum* (i. e. auri vestri et argenti) *testimonium vobis erit.* Dicti, eandem persequentis allegoriam, haec est sententia: Ejusmodi opum vestrarum haec clades erit, hic interitus, ut criminum vestrorum justam eam esse mercedem poenamque et alii agnoscere debeant et vestra ipsorum confiteri conscientia. Ita recte MORUS ac CLAR., a quibus non longe recedit VAN-DER-PALMIUS.

Quod sequitur dictum: καὶ φάγεται[1]) — πῦρ, ubi denuo v. φάγεται rem certissime *futuram* ut *praesentem* jam informat, ita explicandum est: „Illa aerugo, opum vestrarum interitus ille, *ignis instar vestra* veluti *corpora consumit*, quum per divitiarum, quas amissas doleatis, amorem, tum per conscientiae, vos reprehendentis, angores." Sic denuo MORUS et CLAR.; quibus praeëuntibus cum *praecedentibus* comparationem conjungo ὡς πῦρ. Minus commoda enim Syri interpretis, KNAPPII aliorumque mihi ratio videtur, qui cum *sequentibus:* ἐθησαυρίσατε κ. τ. λ. connectendam eam putant. Nec tamen MORO, HOTTINGERO, CLARISSIO assenserim, πῦρ de *febri* interpretantibus. Quo facto, nullâ urgente necessitate, efficaciori, quae huic loco accommodatissima est, imagini tenuior altera substituitur. Propriâ enim vocis πῦρ retentâ notione, pulcherrima haec exsistit imago: *tanquam flamma* corporum membra quasi circumlambens eorumque carnem lento dolore depascens atque exedens, ita divitiarum eos uret amissio atque interitus.

Ἐθησαυρίσατε — ἡμέραις, *ultimis* vitae vestrae *diebus vobismet ipsis opes collegistis.* Ita breve hoc atque aculeatum dictum supplet MORUS, non improbante VAN-DER-PALMIO. Alii: *ultimo* Reipubl. Judaicae *tempore.* Etsi neutram plane contemnendam puto rationem, malim tamen de tempore intelligere, quod *amissas divitum opes* proxime antecederet. Has enim brevi interituras esse opes, ipsa haec modo antea dixerat sectio. Nihil certe est quod,

---

1) Pro hâc voce *Sinait.*, nullo, ut videtur, erroris socio, scribit φαίνετε, i. e., ex solito scripturae vitio, φαίνεται. Sed veram lectionem restituit Corrector.

secundum GEBS., de tempore *ante Christi reditum* cogitemus, sect. 7 memoratum.

SECT. 4.

Ἰδού, ὁ μισθὸς κ. τ. λ. Ἀμάω, *meto*, *demeto*, idem fere est quod θερίζω [1]), quo verbo ad illud explicandum utitur HESYCHIUS. Χώρας *agros* hîc esse clare docet contextus. — In hocce dicto, quod plane *poeticum* non colorem solum habet, sed vim ac sublimitatem, pulcherrimi nobis est admiranda *parallelismi membrorum* concinnitas, quâ priori sectionis hemistichio ita respondet posterius, ut ex altero supplendum sit alterum, atque ex utroque demum conjuncto plena eluceat sententia. — Prius illud, praeëunte vertimus CASTELLIONE: *Merces ipsa mercenariorum, qui vestros messuerunt agros, a vobis retenta*, quâ eos defraudâstis, *quiritatur;* nimirum, quod ex altero membro supplendum est, *apud Jehovam*. Felici hîc audentiâ ipse ὁ μισθός, injuste retentus ille, vitâ quasi donatur atque ut miserorum patronus informatur mercenariorum, divinum ante tribunal eorum caussam agens ac Dei in iniquos eorum dominos vindictam invocans poenasque. Comparetur omnino *Genes.* IV. 10, unde noster h. l. colorem hausisse videtur, ubi *de terrâ ad Deum clamare* dicitur *Abelis sanguis*. Nec dissimile dictum est, *Exod.* XXII. 23, ubi *orphanos viduasque oppressas ad Deum vociferantes* audimus. Alia dabit THEILIUS.

Alterum hoc est membrum parallelum: καὶ αἱ βοαὶ κ. τ. λ., *messorumque querelae in Domini Zebaoth aures*

---

1) Pro ἀπεστερημένος scribunt ἀφυστερημένος B* et *Sinait.*

usque penetrárunt. Eae sunt hae querelae, *quibus de defraudatá mercede apud Jehovam conqueruntur.* Hoc enim suâ vice prius supplendum nobis offert membrum.

Κύρ. σαβαώθ. Hebraizans haec vel potius plane Hebraica locutio, *Jehova, agminum* s. *exercituum dux*, nusquam alibi, ubi in N. F. suâ ex personâ loquuntur Viri sancti, scripta exstat. Eâdem quidem usus est *Paullus, Rom.* IX. 29; sed ibi, Alex. ex interpretatione, loquens inducitur *Propheta, Jes.* I. 9 [1]). Profecto nullâ potius in epistolâ hoc nobis exspectandum erat Dei nomen, quam quâ passim Prophetarum docendi formam imitatur aut repraesentat *Jacobus.* — Ac terrificum sane hoc erat dictum, salutarem ad metum opulentis istis dominis incutiendum unice accommodatum. Querulae enim opificum voces si a tremendo illo jam auditae erant Numine, inultae impunitaeque manere non poterant. Vidd. BAUMG. et THEIL.

Universe in Oriente nec ibi solum male divites habebant pauperes premebantque egenos, in quos nihil non sibi licitum putarent. Quocirca sapientissimus Legislator, *Levit.* XIX. 13: *Civem tuum non opprimes*, inquit, *nec defraudabis*: *Mercenarii tui merces ad tempus matutinum usque apud te non pernoctabit*; id est, ne in posterum quidem diem ejus differes erogationem. Item *Malach.* III. 5 med. et aliis improbis Dei intentantur poenae et iis, *qui mercede suâ vi defraudent operarios.* Pari autem et prudentiâ et humanitate hoc potissimum, quod hîc memorat, castigandum sibi sumsit Apostolus iniquitatis exemplum. Torridis enim Orientis in tracti-

1) *Paulli* ad locum vid. VAN-HENGEL.

bus molestissimum opus erat sudorisque plenum *fruges demetendi.* Per aestûs enim incommoda fiebat, solisque ac coeli per intemperiem, ut nullo facile duriore labore victus quaereretur.

SECT. 5.

Quo iniquior quis ac durior in alios, inferioris maxime conditionis, homines deprehenditur, eo plura saepe sibi indulget ipsi. Non mirum igitur iis, de quorum iniquitate jure conquerentur operarii, illicitam hîc objici morum licentiam.

Ἐτρυφήσατε — ἐσπαταλήσατε. De hujus ac seq. sect. structurâ non plane concinentia comparentur BUTTM. ac WIN. judicia [1]). Affinis quidem notionis est utrumque, quod hîc exstat, verbum; ita tamen, duce THEILIO, distinguendum. Τρυφάω, a τρυφή, *mollem ago vitam, deliciis me dedo*, ad immoderatam referendum est luxuriam; σπαταλάω, a σπατάλη, *helluo, comessor, epulor*, ad prodigam, luxuriae illi conjunctam, vitam eamque intemperantem. Vertamus igitur: *luxu vos in terrâ diffluxistis atque intemperantiâ* bona vestra *prodegistis.* Ubi non otiosum est additamentum ἐπὶ τῆς γῆς, quo hujus *terrae* finibus limitata eorum fuisse studia significatur ac terrestria tantum gaudia ac voluptates eos sibi quaesivisse.

Ἐθρέψατε — σφαγῆς, *tanquam lanienae die, vestro indulsistis genio.* In his nec legendis nec interpretandis omnes consentiunt eruditi. Comparationis enim adver-

---

1) *Hic* vid. p. 475, *ille* p. 344.

bium ὡς ante ἐν ἡμέρᾳ quum codd. omittant A. B. et *Sinait.* [1]) aliis cum duobus atque unâ et alterâ versione textu id ejecerunt, HUTHERO et WIES. probantibus, LACHM. et TISCHEND., quos VISSERINGII sequitur interpretatio. Quasi ad ejiciendam particulam, quam longe plerique tuentur codd. atque antiquissimi interpretes, tantilla sufficiat paucorum auctoritas testium, quorum qui antiquissimi sunt, eos magnâ socordiâ ejusmodi vel abjicere vel inculcare voculas nimis multa eorum arguunt menda. Suspicor satis severam per se sententiam severiorem etiam reddere voluisse A. B. eorumque socios. Sed quicquid sit; rectissime et alii Critici hoc tuiti sunt adverbium et omnium accuratissime REICHIUS.

Verum forsitan major etiam hic Interpretum est, quam Criticorum, dissensio. Ubi non est quod laxam eorum rationem moremur, qui vv. τὰς καρδίας ὑμῶν pro merâ habent pronom. person. paraphrasi. Eos enim accurate refutavit WINER., omnino consulendus ille, qui *voluptatis appetitum* aliquem complecti locutionem perspicue docet [2]). Quam ejus potestatem loco vertendo quodammodo reponere conati sumus.

Verum quaeritur imprimis, quid sit ὡς — σφαγῆς. CALV. BEZA, GROT. aliique ac recentissime VAN-DER-PALMIUS ita vertunt: *tanquam in die mactationis*, ut diem *festum* intelligant, *epularum* diem, quo nimirum multa *mactari* consuevissent pecora. Sic sententia sit, explicante certe

1) Cujus vero Corrector omissum restituit adverb.

2) Vid. ed. 5, p. 181, ed. 6, p. 141 in annot. Alterum laxae interpretationis conatum idem confutavit Grammaticus, ed. 5, p. 494, ed. 6, p. 370, ubi post THEIL. eos jure reprehendit, qui ἐν ἡμέρᾳ pro εἰς ἡμέραν dictum opinantur.

VAN-DER-PALMIO: „ita singulos egistis dies, ac si singula festa essent ac solennia." Verum hoc si sibi voluisset disertissimus noster Auctor, ne dubites quin magis definite ac magis perspicue sententiam fuisset enuntiaturus. Nec quemquam veterum novi, qui *festum tempus* ita nude ac vage *mactationis diem* appellârit. Alii multi, vertentes: *tanquam in diem mactationis* hoc dicentem faciunt Auctorem: „pecorum caedi destinatorum instar, quae ad mactationis diem praeparantur ac saginantur, vos pavistis ipsi." Ita SCHULT., POTT., AUG., HOTT., WAHL. *in Clavi*, CLAR., alii. At minus accurate hi praep. ἐν ita explicant ac si scripta esset praep. εἰς. Nec est quod hoc quidem dictum de *judicii*, poenas irrogaturi, tempore capiamus. Quum praesertim nullum esse dubium videatur, quin hîc ad temporis designationem respiciatur, quam sect. 3 exeunte legimus, ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. Longe igitur praestat explicare: ultimo quasi die, quo mactandi eratis ac trucidandi, eo ipso, quo perituri eratis, tempore, tanquam pecora vos saginâstis, certae morti destinata. Ita cum OECUM., MICH., THEIL., GEBS., REICHIO locum explicantes, nec comparandi adverb. ὡς negligemus nec praep. ἐν cum εἰς confundemus et, ipsius Auctoris tanquam digitum indicem secuti, ad postrema sect. verba respiciemus.

SECT. 6.

Quo minus qui mercede defraudarent operarios atque in voluptates se immergerent, eos sperari poterat integros se praestituros esse atque incorruptos judices; eo majorem vim haec habet, quae praecedentia excipit, repre-

hensio: κατεδικάσατε — δίκαιον. Ubi elegans animadvertatur, quâ primum hujus incisi voc. cum postremo conjungitur, paronomasia. — H. l. et Cap. IV. s. 2, ubi sine dubio retinendum esse v. φονεύετε vidimus, sibi invicem illustrandis inservire, pauci erunt, confido, qui negent. Atque omnino res et ratio postulat ut ad idem criminum genus utrumque referamus dictum. Neque igitur est quod, nostro h. l., cum BEDÂ ac GROTIO, quibus praeïvisse videtur OECUMEN., τὸν δίκαιον, invito et contextu et *praesenti* ἀντιτάσσεται, *Christum* esse statuamus. *Collectivo* potius significatu egeni homines sunt intelligendi, qui insontes essent ac *justi*. Quâ innocentiâ homines non raro factum esse ut a corruptis Judaeorum judicibus capite damnarentur, minime improbabile est. Vid. VAN-DER-PALMIUS.

Οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν. BENTLEJI non indigemus conjecturâ, qui pro part. negante οὐκ legendum esse putat ὁ Κύριος. Quae Viri ingeniosissimi suspicio in nullo antiqui aevi testimonio quicquam praesidii habet. Et vero, commoto admodum animo, non ligatâ per copulam oratione locutus, Auctor eo penitius istorum nobis persentiscendam impertit crudelitatem, quo acutiore brevitate insontium hominum, admirabili patientiâ extrema quaeque perferentium, mansuetudinem pingit ac tolerantiam. Praeclaris GEBSERI, HERDERI, quem laudat, ac CLARISSII monitis unum hoc est quod addamus. Lugubri hâc lectorum veluti ante oculos scenâ informatâ, sapienter eos a vindictae studio avocare voluit Apostolus ac cavere ne malis illata sibi mala rependerent. Atque hoc ipsum ad proximam μακροθυμίας commendationem opportunum parat ac percommodum transitum.

SECT. 7—11.

De hujus cum praecedente loco nexu ea dicit, quae mihi quidem perplaceant, HERDERUS. Nec lectoribus ita displicitura puto, ut eorum summam hîc a me repositam esse aegre ferant. „*Sect.* 6," inquit, „*subito claudit* „*orationem Jacobus. Nequaquam Judicis*, *poenas comminantis*, *gladium* aperte *pessimis ostendit hominibus. Verum orationis veluti velum atque aulaeum demittit; et*, „*post ea, quae praecesserant, effata severissima*, *lenissimâ nunc ac maxime blandâ compellatione oppressos* „*adhortatur Christianos ut conquiescant*, *sileant*, *patiantur*, *perdurent*, *ne conquerantur quidem acerbius; quum* „*in eo sit ut adveniat supremus omnium Judex.*" Ita fere HERD. cujus haec dicta meritâ laude prosequitur GEBS.

SECT. 7.

Μακροθυμήσατε οὖν. Mox, sect. 8, et repetitur adhortatio et per dictum acuitur: *στηρίξατε τ. κ. ὑμῶν.* Eo majorem vim repetitum habebit *μακροθυμήσατε*, si et contextum attendimus, quo quam immaniter in egenos grassarentur divites deformârat, et vero temporum illorum conditionem. Quibus in egenos nihil non sibi licitum putâsse opulentos aequalium docent testimonia. Vid. SCHNECKENB. laud. in *Hist.* p. 30 sqq. Suspicor igitur ideo etiam tam graviter repetiisse *μακροθυμήσατε* ut modo antea de *justo* illo, in quem saevierant, diserte dixerat: *οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν*, veritus ne crudeliter oppressi homines novas forte res molirentur atque ita ex miseris miseriores se facerent ipsi. Verum luculentius etiam per

exemplum illustratur mox allatum agricolarum, qui, nequaquam praecipitantes, justum fruges demetendi tempus placide praestolentur. Eâdem enim patientiâ Judicis adventus, etiamsi spe diutius prorogaretur, piis exspectandus erat epistolae lectoribus.

Ἕως — τοῦ Κυρίου. Sine dubio comparandum est utrumque hoc contextae orationis dictum: *ἡ παρουσία — ἤγγικεν*, sect. 8; *ἰδοὺ, ὁ κριτὴς — ἕστηκεν*, sect. 9. Atque ex *Christi*, *Matth.* XXIV et XXV, vaticiniis *ipsum* esse, qui hic *Dominus* vocetur, nemine negante, apparet. Verum quaenam hîc praedicatur Christi *παρουσία* disceptant interpretes, quorum sententias retulit GEBS. Ipse quidem *Jacobus* unum id significavit, ejusmodi Domini *adventum* instare, qui nunc mala passis ejus cultoribus consolationem, salutem, beatitudinem allaturus esset, iniquis eorum adversariis justas criminum poenas irrogaturus. Quod vero *quo tempore* futurum esset, ne uno quidem dixit verbo nec dicere debuit. Id ipsum enim, quod ecquando rediturus esset Judex ignorarent, salutarem eorum fidei quum explorationem habebat, tum exercitationem. Eo, quo dixi, consilio rediit JESUS-CHRISTUS, quo die vastata sunt *Hierosolyma*. Quibus excisis ea plane fracta est, quae Christianis maxime infesta fuerat, potentia. Item nec alio consilio ad singulos quosque venit vel pie vel impie defunctos, ut continuo post mortem felicitatis *illi* compotes reddantur, unde sese exclusos *hi* experiantur. Ad quam Domini *παρουσίαν* multi h. l. retulerunt (nec absurde illi) interpretes Romano-Catholici. Eâdem tandem potestate judiciariâ in fine redibit rerum terrestrium. Atque ultimi hujus Christi reditûs et eversa *Hierosolyma* imago erat, et diversa singulis, continuo post cujusque

mortem assignata sors. Quae quum ita sint, sententiae ex quâ suâ jam aetate periturum esse mundum putâsse Jacobum hoc quidem in loco nullum est praesidium.

Ἰδοὺ, ὁ γεωργὸς — τῆς γῆς. Patientiae ac constantiae monitum primum hîc ab agricolarum, tum, sect. 10. 11, piorum, quos V. F. celebrat, virorum exemplis commendatur. — Universe sexcentas ab *agriculturâ* petere imagines S. S. nemo ignorat. Verum, quod hîc singulatim attendendum est, cum *messe* reditûs sui tempus comparaverat JESUS-CHRISTUS. — Quod τίμιος, *pretiosus* appellatur, quem diu praestolatur agricola, terrae fructus, non inane hoc est neque otiosum epitheton. Scite enim indicat, inexhaustâ non raro spei patientiâ id, quod magnum habet pretium, exspectari debere, tum vero quantivis ea esse valoris, quae, reverso Domino, ab ejus quum justitiâ, tum benignitate sese nacturos esse confidere possint Christiani.

Μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ, nimirum τῷ καρπῷ. Dictum non intelligentes, alii librarii ἐπ' αὐτῷ omiserunt, alii ei vel ἐπ' αὐτόν, vel ἐπ' αὐτῆς substituerunt. *Patienter illi intentus fructui* dicitur, qui, *quoad illas*, in quibus spes sua reposita est, *fruges patientiâ usus*, quamvis ante spem expletam multum temporis abeat, nunquam tamen eam abjicit nec desperat. — Hoc potissimum voc. μακροθυμῶν utitur Auctor, quo clarius similitudo, agricolas inter et Christianos intercedens, eluceat.

Ἕως ἂν — ὄψιμον. Partic. ἄν, quam perversum intrusit elegantiae studium, multos testes secutus, ejecit TISCH. Verum subst. ὑετόν, quod etiam ipsum, pluribus consentientibus Criticis, loco movit, et A. G. K. cum omnibus fere minuscc. tuentur et antiquissimis cum

verss. OECUM. ac THEOPHYL. Tum magna accedit probabilitas factum esse ut, in trium fere continuarum vocum fine, ter recurrens ον scribarum oculis fucum faceret. Nimius igitur hic fuit codicis B paucorumque ejus sociorum amor, qui optime testatum hoc vocab. excluderet, ab ipsâ paene sententiâ requisitum illud. Et de hâcce var. lect. et de v. *καρπόν*, quam eidem subst. *ὑετόν* pauci male substituerunt [1]), plura vidd. apud REICHIUM.

Luculento denuo h. l. ostendit documento, quam plene et quam copiose eas, quibus orationem ornat et confirmat, *imagines* informare atque exponere consueverit Auctor. Ad hujus singulatim comparationis illustrationem, *Menandri* conferri possunt ac *Tibulli* loci, a THEILIO allati. De *pluviâ primâ ac serotinâ* vel unum consuluisse sufficiet SCHNECKENB.

SECT. 8.

Μακροθυμ. [2]) *καὶ ὑμεῖς, vos etiam*, agricolarum instar, *patientes estote.* Disertior haec est comparationis ad rem ipsam accommodatio. — *Στηρίξατε* — *ὑμῶν*, illam ad patientiam *vestros confirmate*, obdurate *animos*. Neque enim, quod nonnulli statuerunt, *τὰς καρδ. ὑμ.* idem est quod pron. pers. *ὑμᾶς*. — *Ὅτι* — *ἤγγικεν*. In iis, quae de Christi *παρουσίᾳ*, tribus continuis dicuntur sectt. 7—9, *gradatio* notetur, a JACHM. recte animadversa.

---

1) *Sinait.* ubi scripserat *καρπὸν τόν*, hunc *artic.* improbavit Corrector, de v. *καρπόν*, non minus vitioso illo, nihil monens. Illi ita consentit frater gemellus B, ut etiam ipse scribat *καρπόν*.

2) *Sinait.* et G cum unâ alterâque vers. hic inserunt *οὖν*.

SECT. 9.

Μὴ στενάζετε — κριθῆτε. Sic pro recepto legendum esse κατακριθῆτε, quod ex eorum, qui graviorem locum reddere vellent, interpretatione exstitit, antiquissimis ac plerisque cum testibus recte plerique consentiunt Critici. Στενάζειν h. l. de *acerbiore* ejusmodi *querimoniâ* dicitur, quae cum vindictae divinae invocatione conjuncta est et malorum cum imprecatione. Vidd. SCHULT., GEBS. et vero THEIL. — Κριθῆτε haud sine vi atque emphasi ad proximum refertur n. κριτής. *Illo* non hominum, sed *Christi* judicium significari ex utriusque apparet conjunctione.

Ἰδοὺ — ἕστηκεν. Eorundem fere testium auctoritate atque iisdem probantibus viris doctis, praemisso art., legendum est ὁ κριτής [1]). — Haustum est dictum ex *Matth.* XXIV. 33: γιν., ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. Ubi quod ad explicandum ἐπὶ θύραις adjectum videmus, ἐγγύς ἐστιν, id *Jacobeo* inclusum est modo antea praecedenti verbo ἤγγικεν.

SECT. 10.

Ὑπόδειγμα λάβετε τῆς κακοπαθείας, ἀδελφοί μου. Ita quidem textus receptus. Verum, mutato verborum ordine, vocat. ἀδελφοί genitivo τῆς κακοπαθείας codicum A. B multorumque aliorum auctoritatem secuti, praeponunt GRIESB. et TISCH. Item versionum suffragia memorant; sed quae mihi hâcce in caussâ minus certum edere testimonium videntur. In hocce praeferendo verborum or-

1) Utroque etiam loco veriorem habet lectionem *Sinait.*

dine ita praeclaris consentio Duumviris, ut post ἀδελφοί retinendum censeam genit. μοῦ, quem probabiliter spurium declaravit GRIESB., ex textu ejecit TISCHEND. Longe plures enim sunt, in quibus etiam *Sinait.*, qui hocce retineant pronomen, quam qui vulgarem, de quo modo dixi, verborum ordinem. Nec vero id egisse librarios improbabile mihi videtur, ut sectioni 7 et 9, quâ utrâque sine adjecto μοῦ vocat. exstat ἀδελφοί, nostrum h. l. conformem reddere voluerint. Legamus igitur: ὑποδεῖγμα λαβ., ἀδελφοί μου, τῆς κακοπαθ. κ. τ. λ. De hâc lect. var. plerique silent interpretes; TISCHENDORFIO consentit HUTH.

Miro quodam, sed omnino memorabili, errore ita *Socraticum* fecit *Jacobum* cod. *Sin.*, ut pro κακοπαθείας scribentem eum faceret καλοκαγαθίας.

Illius Corrector post μακροθυμ. inserit ἔχεται, i. e. ἔχετε. Ante ὀνόματι praep. ἐν manifesto glossemate intrudunt paucis cum aliis codd. B et *Sinait.* Quod probare non debuerat THEIL. nec recipere LACHM. Idem olim, a. 1841, Criticus fecerat Lipsiensis. Qui vero postea, item in ultimâ ed., recte sine praep. ponendum curavit ὀνόματι.

Vocis ὑπόδειγμα idem, qui hîc, usus est *Christi* in oratione, *Joann.* XIII. 15, ubi semet *exemplum ad imitandum* proponit. Simili fere ratione *Prophetarum* exemplo idem usus est Dominus, *Matth.* V. 12.

Vocabb. κακοπάθεια et μακροθυμία [1]) nequaquam cum ROSENM. et HOTTING. synonyma sunt habenda. Prius enim passivam habet *afflictationis*, alterum activam *tolerantiae* potestatem. „*Non solum* perpessionis malorum

---

1) Quam eleganter hoc et significanter, nostri Auctoris ex consuetudine, ad superius monitum refertur μακροθυμήσατε, sect. 7 et 8 traditum!

„*exempla fuerunt Prophetae, quibus oppressi calamitates* „*suas consolari possent Christiani, sed etiam* constantis „laetaeque, *quae iis imitanda esset*, patientiae". Ita recte THEILIUS, quocum cff. BEDA, a GEBS. laudatus, et SCHNECKENB.

SECT. 11.

Ἰδοὺ — ὑπομένοντας, *ecce! beatos* eos *praedicamus*, *qui* in aerumnis *constanter perdurant* neque earum vi ac vehementiâ animis se deprimi patiuntur. Non ignoro pro partic. *praes.* ὑπομένοντας A. B. paucis cum aliis et codd. et verss. partic. *aoristum* legere ὑπομείναντας. Verum hoc eorum testimonium longe plurium enervant, quae receptam tuentur lectionem, et mss. et interpretum veterum suffragia. Ac vix aut ne vix quidem dubitandum est quin *aoristum* male praetulerint librarii aut correctores, quoniam eorum, qui olim vixissent, exempla et in praecedd. et in seqq. allata viderent. Neque enim animadverterunt, quod THEILIUM etiam offendit, concitato non raro ac volante fere stilo usum, Auctorem singularium exemplorum commemorationi generalem commode interjicere potuisse τῶν ὑπομενόντων laudationem. Eos autem hîc μακαρίζων, idem urget ac confirmat, quod supra, I. 12, professus erat Apostolus: μακάριος ἀνὴρ ὃς ὑπομένει κ. τ. λ. — Ad loci lectionem ut redeam, TISCHENDORFIUM laudo, qui integram eam nobis servavit, ac REICHIUM, qui strenue ejus caussam egit atque omnia inutramque partem momenta justa lance ponderavit.

Τὴν — ἠκούσατε, talem, quae μακαρισμῷ et digna sit et ab omnibus habeatur, patientem *Jobi constantiam*

audivistis, in synagogâ nimirum, ubi sacri recitabantur libri, celebratam.

Καὶ τὸ τέλος Κυρίου εἴδετε. Hîc etiam recepta recte se habet lectio. Criticum enim Lipsiensem, qui pro εἴδετε Imperativum edidit ἴδετε, *videte*, nobis non sequendum esse tam accurate Criticus demonstravit Goettingensis, ut ejus disputatis quicquam adjicere nihil attineat. De glorioso *Christi Domini* ex vitâ exitu h. l. bis explicuit AUGUSTINUS. Item fecerunt BEDA, ESTIUS aliique nonnulli antiquiores. Quorum vero cum sententiâ nec contexta concinit oratio nec vero universa hujus epistolae ratio, quae ita, prudentissimo consilio, in *Vet. Foed.* theatro lectores collocandos curat, ut ne ibi quidem, ubi maxime id exspectaveras, *Christi* fata memoret et exemplum. Longe igitur praestat ad *Jobi* historiam dictum referre; ut τὸ τέλος Κυρίου sit *exitus, quem ei dedit Dominus*, beata illa sors, quae, volente ac moderante Deo, extremo Jobi vitae tempore, diras ejus calamitates excepit. Hâc aut simili certe ratione locum explicuerunt ERASM., GROT., POTT., HOTT., SCHULT., GEBS. atque universe plerique recentiores, in quibus ipse adeo est SCHNECKENB., qui exempli, a *Christo* dati, commendationem ab hâc epistolâ vix abesse potuisse statuebat. De *genitivi caussae*, qui hîc obtinet, usu THEIL. consulatur, qui plura hujusmodi memoravit exempla [1]).

Ὅτι — ὁ Κύριος. Hujus dicti de lectione duo monenda sunt. Primum enim pro recepto πολύσπλαγχνος multi sunt codd., sed soli minusculi illi, qui longius ejusdem fere potestatis adject. habeant πολυεύσπλαγχνος.

1) Nobis etiam consensit WINER., ed. certe 5, p. 287.

Quod probat mill., recepto suppar censet griesb. Non ita tischendorf. et reich., qui, consentientibus theilio aliisque, brevius, quod vulgatum exstat, adjectivum recte tuentur. Id enim et in uncialibus libris praesidium habet A. B., *Sinait.* G. K. et in insigni aliorum agmine. Ne de oecum. dicam. Tum interna idem conservandum commendant probabilitatis momenta. Quidni enim, quodammodo praeëunte, quem ultimum nominavi, interprete, ita nobis rem informemus? Ad vocem explicandam, uno h. l. usurpatam, πολύσπλαγχνος primum textûs margini usitatior adscripta est εὔσπλαγχνος. Hoc vero glossema codici aut codicibus suis, quos describebant, adjectum videntes, alii librarii in unum conflandum vocabulum dixerunt. Unde postea illa, ut longior, ita deterior exstitit lectio πολυεύσπλαγχνος.

Vellem de alterâ, quae in eodem hoc dicto nobis objicitur lectionis varietate, non minus certum ferre possem judicium. Nomen ὁ Κύριος significo, quod post ἐστί Recepta habet. Multi quidem id retinent, sed multi, numero plures etiam omittunt codd. Nec major Criticorum est, quam subsidiorum, consensio. Ac potest sane in utramque partem hîc disceptari. Potuerunt enim, quo gravius suo quidem ex sensu dictum redderent, male *Domini* nomen inserere librarii. Verum non minore certe probabilitate perperam eos nomen omisisse, conjicere licet, quod hîc in contextâ oratione plane superfluum putarent atque otiosum. Malim igitur judicium hîc suspendere. Hoc tamen profiteri liceat. Tutius certe fecisset tischend., si, ut olim a. 1841, ita nunc etiam ab ejiciendo nomine abstinuisset, quod et ab omnibus conservatur, quae antiquissimae sunt, quum mem-

branis tum verss., et memoratâ de caussâ facillime librariis potuit displicere.

Sententia, quam recte GEBS. exposuit ac THEILIUS, haec est: „Deus, quando misericors est benignusque, et Jobi perpessionibus felicem illum terminum posuit atque exitum dedit, et vobis exoptatum impertiet aerumnarum eventum."

SECT. 12—20.

Harum, quae epistolam, ut nunc se habet, claudunt, sectionum unum alterumque dictum in malam suspicionem BAHRDTIUS adduxerat et SCHULTESZ. [1]). Verum haec certaminis, quo conflictandum foret, levior solummodo prolusio fuit. Longe enim majore acumine usus ac doctrinâ, totam hanc epistolae clausulam spuriam esse neque eodem, quo praecedentia, tempore scribi potuisse probare conatus est, in WINERI et ENGELHARDTII Ephem. theol., ERN. CAR. RAUCHIUS. Quem vero postmodum, eodem in opere, accurate ac subtiliter refutavit C. R. HAGENBACHIUS, Theol. Prof. Basileënsis. [2]). Eandem caussam, breviore quidem nec minus tamen lectu dignâ disputatione, strenue egerunt SCHOTTIUS et THEIL. [3]).

1) De utriusque suspicionibus vid. THEIL. *prolegg. in comment.* p. 54 sqq.

2) Vid. *N. krit. Journal der theol. Lit.* (1827) Tom. VI, p. 257 sqq., ubi RAUCHII, Tom. VII, p. 395 sqq., ubi HAGENBACHII exstat disp.

3) *Ille* vid. in *Isag. hist. crit. in libros N. F.* (*Jen.* 1830) p. 394—396; *hic Prolegg.* l. l. Quibuscum conferri etiam potest CH. G. NEUDECKER, *Lehrb. der hist. krit. Einl. in das N. T.* (*Lips.* 1840) p. 675. A

Quid quod ita *Jacobeam* loci originem hi probârunt Viri docti, ut vix aut ne vix quidem nova ad hanc quaestionem illustrandam afferendi mihi relicta sit opportunitas. Penso tamen, quod lubens suscepi, ne hîc deësse videar, pauca monere juvat. Quamquam plures nuper interpretes exstiterunt ac scriptores isagogici, quorum ex silentio satis jam refutatos eos judicâsse loci vituperatores efficias. Sed pleraeque eorum, quos dixi, objectiones singula quaedam hujus epilogi dicta premunt, quorum vel discrepantia a praecedentibus arguitur vel collocatio vel nexus vel ipsa adeo sententia. Quo magis igitur brevitati consulamus ac ne bis eadem nobis attingenda sint enuntiata, eâdem operâ eorum et interpretationem complectemur et defensionem. Tum, si quid forte universe monendum supersit, id commode singulorum enarrationi subjici poterit.

SECT. 12.

Certissimam sane venturi supremi Judicis cogitationem a nullâ non *jurandi* levitate ac temeritate lectores deterrere oportebat. Illius igitur qui instaret adventus quum semel iterumque diserte annuntiâssent praecedentia, quam arcte haec cum illis cohaereant monita, luculenter apparet. Quid quod nostri hujus dicti clausula ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε sect. 9 monito ἵνα μὴ κριθῆτε plane respondeat; ad quod manifesto respicere *Jacobum*, ignoret ne-

---

SCHNECKENBURGERO etiam, qui in *commentario* rem non attigit, refutatum esse RAUCHIUM, in ephem. *Tübinger theol. Zeitschr.* 1829. II. 3, docuit me GUERIKIUS, *Gesammtgeschichte des N. T.* (*Lips.* 1854) p. 448.

cesse est qui in ejusmodi enuntiatorum copulatione ipsissimam ejus manum non agnoscat. Itaque hîc certe non erat quod partium nexum desideraret RAUCH.; nec magis quod praemissum eum offenderet πρὸ πάντων, quo *summi momenti* esse praeceptum indicatur, quod eo magis urgendum erat atque acuendum, quo frequentiore jurisjurandi abusu et alii Judaei peccabant et illi, de quibus supra IV. 13, mercatores. Caeterum a nullo potius scriptore tanta haec adhortationis gravitas exspectanda erat ac severitas, quam ab eo, qui ita, ut eum Cap. I. 19 et Cap. III facientem audivimus, qualemcunque *linguae abusum* castigârat.

Non dubitandum est, quin *Christi* hîc monita respiciantur, quae ipsius ex ore acceperant Apostoli, nos *Matthaei* ex Euang. V. 34—37 cognovimus [1]). Quanta enim utriusque loci sit similitudo neminem facile fugiet. *Christus* enim vetat *μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, — μήτε ἐν τῇ γῇ*. Quae ita hîc, immutatâ paullulum constructione, reposita videmus: *μὴ ὀμνύετε, μήτε τὸν οὐρανὸν μήτε τὴν γῆν*. Mox binas alias jurandi formulas condemnat *Christus*, quibus vel *per Hierosolymas* jurarent vel *suum cujusque per caput*. Pro quibus contractius dicit Apostolus *μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον*. Quo sine dubio et aliae jurantium formulae vetantur et eae, quae vel maximo usu tritae fuisse videntur, quas illic diserte improbârat *Dominus*. Quod recte etiam vidit VAN-DER-PALMIUS. Tum argumenta quidem, quibus, quam inepta et quam illicita

---

1) Etsi his singulatim dictis usus est *Jac.*, non sine fructu tamen ea etiam conferentur, quae de Pharisaeis ac Scribis, jusjurandum in abusum trahentibus, gravissime monuit J. C., *Matth.* XXIII. 16—22.

essent quae vetuerat, comprobârat *Christus*, non recenset Jacobus. Verum inter ea denuo quae praecipit ac jubet uterque, inter *affirmantem* igitur utriusque dicti partem, maxima denuo intercedit similitudo. *Christus* enim ait: *ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν· ναὶ ναί, οὒ οὔ.* Paullo brevius noster Auctor: *ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ ναί, καὶ τὸ οὒ οὔ.* Quâ vero hujus atque illius dicti affinitate ita abusus erat RAUCHIUS, ut qui tam pressâ imitatione Conservatoris illa verba repeteret, eum *non satis suum* esse argueret, neque igitur *Jacobum* esse posse. Adversus quem recte monuit HAGENBACHIUS [1]), quamvis simile sit non tamen pro eodem utrumque habendum esse effatum. Verum ne tum quidem, si major etiam haec esset similitudo, nos ea offenderet aut de loci auctore dubios redderet. Quid enim? Si V. F. Prophetae, quos in multis sequendos sibi proponebat epistola, non raro antiquiorum Vatum oracula vel adhortationes sine ullâ fere mutatione repetierant; quis ab *Apostoli* personâ ac dignitate id abhorrere putabit, ut eâdem ratione in summi Magistri praeceptis commendandis versetur ac reponendis?

Ἤτω δὲ ὑμῶν [2]) — *οὔ.* De rariore Imperativi formâ *ἤτω* pro *ἔστω* consulendus est WINER. [3]) Verum longe gravior quaestio est, quae dicti sit sententia. Mihi quidem cum majore interpretum parte sancta illa commen-

---

1) L. l p. 397.

2) *Sinait.*, qui, ineunte hâcce sect., solus omnium, pro δὲ scripserat οὖν, idem post ἤτω δὲ glossema inserit, sine dubio ex loco parallelo haustum *Matth.* V. 37, ὁ λόγος. Ac posteriore quidem loco erroris socios aliquot codd. minuscc. habet et verss., sed utriusque vitii medicum invenit Correctorem C.

3) P. 73.

dari videtur *veracitas*, quam vanae multorum et impiae jurandi libidini ac consuetudini substitui oportoret: *vestrum vero ita revera sit ita, vestrumque non verum non.* Quod paullo liberius explicueris: nihil unquam nec nisi quod verum sit affirmate, nec nisi quod falsum negate. Huic quidem interpretationi objici video, non satis concinnam eam nobis praebere a praecedente μὴ ὀμνύετε disjunctionem. Verum ut illo cum dicto hoc recte cohaereat, nihil aliud requiritur, nisi ut abrupte ac fervide loquentis Apostoli in mentem nos insinuemus ejusque orationem ita suppleamus: Constans hoc veri studium eam vobis vel affirmantibus aliquid vel negantibus fidem faciet, ut nullis opus sit uti istiusmodi jurandis. — Alia dicti est interpretatio, plures etiam ipsa eosque nobiles nacta patronos, cujus vim perspicuâ brevitate sic enuntiat HOTTING.: *Quae affirmanda sunt, ea sine obtestatione simpliciter affirmate; quae neganda sunt, negate.* Enimvero, hoc si sibi voluerit Auctor, nullam peccati immunem esse censuit graviorem qualemcunque ac solenniorem dictorum nostrorum asseverationem ac confirmationem, immo ejusmodi hoc esse peccatum, quod poenarum divinarum obnoxios nos reddat severitati: hoc enim, inquit, vobis cavendum est, ἵνα μὴ — πέσητε. Sed videant illi interpretes, ne hujus peccati *Paullum* reum faciant Apostolum, semel iterumque, non fidei solum socios *testes* advocantem, sed ipsum adeo *testem* appellantem *Deum*, qui eorum, quae affirmat aut negat, veritatis ac consiliorum suorum integritatis puritatisque conscii sint. [1])

---

1) Hic omnino hi consulantur velim loci: *Rom.* I. 9, 2 *Corinth.* I. 23, *Philipp.* I. 8, 1 *Thess.* II. 5 et 10.

Alio in genere non minus memorabilis nec minus efficax ejusdem

Videant quomodo hoc vanae loquacitatis crimine ipsum absolvant *Jesum*, coram Synedrio, quâ gravissimâ poterat asseveratione, *Christum* sese *Deique Filium* professum. [1])

Ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε, *ne* secus faciendo *divina incurratis judicia*, Dei *vobis poenas contrahatis*. Receptis quidem pro verbis ὑπὸ κρίσιν G. K. multis cum aliis codd. habent εἰς ὑπόκρισιν. Ne paucos aliquos memorem, ubi legitur εἰς κρίσιν. Sed laudanda nobis TISCHENDORFII est constantia, qui, et olim iterum iterumque et postremâ denuo editione, in textu retinendam curavit vulgatam. Eas enim, quas memoravimus, variantes nihil nisi librariorum continere glossemata vere monuerunt GEBS. et POTT. Quarum quae fuerit origo non est ad divinandum difficile. Verbo enim πίπτειν melius congruere nonnulli putârunt praep. εἰς, quam ὑπό. Unde factum est ut huic illam pauci substituerent. Multo plures vero, quum εἰς explicationis gratiâ margini adscriptum viderent, utramque praep. in textu conjungendam esse opinati sunt. Sed plura addere nihil attinet. Vulgatam enim, quam retinent A. B aliique codd., quam omnes *vetustiores* exprimunt verss., et optime testatam esse et prae variantibus internâ commendari probabilitate, accurate ac subtiliter docuerunt THEIL. et REICH.

Sed pauca hîc nobis de universi loci argumento ac consilio subjicienda sunt. In duas igitur veluti acies adversas secedentes videmus interpretes. Alii enim, duces secuti CHRYSOSTOMUM, HIERONYMUM, OECUMENIUM, nullum

---

est Apostoli, amoris, quo *Israëlitas* prosequeretur, sinceritatem declarantis, obtestatio, *Rom.* IX. 1 sqq.

1) *Matth.* XXVI. 63 sq. *Marc.* XIV. 61 sq.

non ab Auctore improbari statuunt ac sine exceptione vetari jusjurandum. A quibus recedentes alii multi, post AUGUSTIN., CALV., GROT., non ipsum per se jusjurandum, sed illius solum *abusum* hîc condemnari putant, ea singulatim *vitae communis juranda*, quae Judaeorum usu trita essent. Jam vero JACHM., qui longum dissentientium interpretum indicem contexuit, dogmaticis tantum ac praejudicatis ductos esse opinionibus, quos posteriores dixi, contendit interpretes. Quod iniquius illius esse, quam verius, judicium plerique consentient. *Jacobus* quidem, terrestrem hanc in vitam si forte redux, magis eorum probaret religionem, qui a J. C. ejusque Legatis vetitum putantes jusjurandum, ab eo praestando abhorrent, quam impiam multorum temeritatem, qui, vel inconsiderate vel levioribus quibusque in caussis, aut veracitatis suae aut propositorum sinceritatis solenniter testem invocare supremum Judicem non verentur. Verum quam libenter hoc profiteor, tam certo veriorem esse quam posteriorem memoravi sententiam, mihi quidem persuasum est. Quod si secus se haberet, quidni diserte edixit Auctor: *Ne per Dei quidem nomen jurabitis?* Neque enim hoc omnium sanctissimum ac maxime solenne jusjurandum,. quasi nihil nisi praecepti appendix quaedam esset, adjecto comprehendere potuit dicto: *μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον.* Hoc enim ejusdem generis formulas spectare, cujus duae modo antea memoratae erant, ex comparato apparet Christi effato, quo duae etiam aliae reprehenduntur.

Non magis, quam Christus in oratione montanâ, Jacobus hâcce in epistolâ, ullo alio loco, quicquam vel praecepit vel vetuit, quo legi Mosaïcae adversaretur.

Neque igitur probabile est eum uno hocce dicto diserte infringere aut abrogare voluisse saepius repetitum illud V. F. praeceptum: *Domini Jehovae per nomen jurabis.* V. *Deuterom.* VI. 13., X. 20 caet.

Tandem Apostoli non magis, quam Christus, quicquam mutandum sibi sumserant in publicâ, quam leges sanxerant, civitatum constitutione. Adeone igitur prudentiae suae sapientissimus oblivisci potuit Auctor, ut Judaeis aut Judaeo-Christianis avitae suae legis tenacissimis, id plane interdiceret, quod, nonnullis certe in caussis, solenniter faciendum Moïsis leges praeciperent? [1])

SECT. 13.

Priore Capitis parte et divites exsultantes graviter de officio adhortatus erat Scriptor et afflictos pressosque eorum cives. Perquam igitur opportune, nunc uno eoque brevissimo, quod nullius non lectoris memoriâ facile retineri poterat, apophtegmate, quomodo, vel in secundâ vel in adversâ fortunâ, et hos et illos animatos esse oporteret, admonet. Neque ejusmodi mihi esse videtur dicti brevitas, de cujus obscuritate jure conquereretur POTTIUS.

Κακοπαθεῖ — προσευχέσθω. Nemo hîc *τίς* poni putet pro *εἴ τις.* In utroque enim hujus sect. inciso *Indica-*

1) De Hebraeorum jurejurando accurate disputat RÜETSCHI, in HERZOGII *Real-Encycl.* III. 713 sqq. A quo alii laudantur scriptores, omnino consulendi. Quibus addatur J. H. PAREAU, *Antiq. Hebr.* (ed 2) p. 89. 216 et alibi. — Imprimis omnino etiam hic attendendum est tertium decalogi praeceptum. Cf. cum *Exod.* XX. 7. *Levit.* XIX. 12. *Deuteron.* V. 11.

tivus ad rem significandam adhibetur, quae ut revera praesens lectori repraesentatur. [1])

Quod κακοπαθεῖ idem esse putabat AUGUST. quod ἀσθενεῖ, sect. 14, non optime hoc illius vocis convenit cum *disjunctione:* opponitur enim εὐθυμεῖ. Quocirca ita dictum interpretari malo: *vestrum aliquis mala patitur* (hoc enim, quod in plures vestrum convenit, pono); *precibus ille Deum adeat.* Plura unum hoc complectitur monitum: huic enim qui morem gerebat, miser, nec suum ipse animum despondebat, nec sibi se sufficere opinabatur, nec in hominum implorato auxilio secure acquiescebat; sed ab uno potius Deo malorum sibi depulsionem efflagitandam esse aut levationem persuasum sibi habebat.

Εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω, *vestrum aliquis laeto est animo* ac prosperâ fortunâ utitur (quâ nonnullos certe in vobis esse qui utantur, sumere mihi licet); *psallat* ille Dei in honorem Eique uni gratias agat. Cui igitur qui obediebat praecepto, non sane hic, sicuti modo antea reprehensi divites isti, aliorum cum contemtu sese efferebat, nec ea, quibus fruebatur, bona sibi aliisve accepta referebat omniumque, quae habebat, primum summumque auctorem Deum et agnoscebat et gratâ mente celebrabat. Praeclarum hoc esse praeceptum, quod, et in laetis et in tristibus, Dei rationem habere, Deum cogitare et venerari jubet, nemo non videt. Sed ita ipsum id redolet *Jacobum*, ut nemo facile, qui illius cum dicendi genere interiorem contraxerit familiaritatem, alii potius cuiquam, quam huic, id tributurus sit auctori.

---

1) Haec recte docuit, quem hîc sequor, WINER. p. 152. 255. 478. Cf. BUTTM. p. 195.

Ne enim acutam dicti brevitatem memorem; coram Deo, quem supplex adorare velis, in genua procumbere ejusque in honorem psallere; externae quidem hae sunt, quae commendantur, actiones, sed ejusmodi illae, quibus quomodo compositus esse debeat atque affectus animus tanquam in tabellâ depingatur. — Caeterum pulcra sane sunt, quae nostro hoc cum dicto comparat POTTIUS, *Horatiana*, sed ita dissimilia eadem, ut de Dei Numine utrâque in sorte venerando ne cogitâsse quidem videatur Poëta.

SECT. 14.

Quam arcte cum proxime superiore h. l. cohaereat orationis et forma demonstrat et argumentum. Ad *illam* enim quod attinet; quod hîc initio sine part. conditionali scribitur, ἀσθενεῖ τις, plane sibi respondens habet κακοπαθεῖ τις, s. 13, de quo ibi nonnulla monuimus. Illic autem quum universe de *miserorum* officio actum esset, nihil magis in promtu erat, quam ut *graviter aegrotantium* singulatim *miseria* adhortatione quantumpote leniretur ac consolatione. Non minor igitur argumenti est affinitas, quam structurae.

Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν. Non de omnibus sine discrimine morbis h. l. agere videtur, sed de iis singulatim, quibus manifestae certorum quorumdam peccatorum poenae continerentur. Nonnunquam enim, recens conditâ Ecclesiâ, iis, qui vel acriores essent Christi adversarii, vel, ipsum professi, gravioribus commissis delictis, ejus nomen dehonestarent, corporis mala quaedam immittebantur, quibus quum crimina illa plecterentur, vel ipsi

emendarentur vel alii certe ab eorum imitando exemplo deterrerentur. Cujus rei certam fidem et ea faciunt, quae hîc s. 15 et 16 dicuntur et quae 1 *Cor.* XI. 30-32, iis collatis, quos mox indicabimus, N. F. locis. Eorum autem morborum alii letales erant, alii non item. Quo respici videtur 1 *Joann.* V. 16. 17, ubi *ἁμαρτία πρὸς θάνατον* ab eâ distinguitur, quae esset *οὐ πρὸς θάνατον*. Letalibus malis ii aliquando divinitus plectebantur, quorum vita turpissimis inquinata erat vitiis; veluti Ananias ac Sapphira, *Actt. App.* V. 1 sqq. Non item letalis eorum erat plaga, apud quos emendationis spes supererat. Vidd. quae de Elymâ Mago *ibidem* narrata exstant, XIII. 11. Hujusmodi igitur fuisse videntur, quorum hîc mentio fit, morbi. Neque enim quibuscunque aegrotantibus fore ut sanarentur promittere poterat Apostolus, quem mox diserte dicentem audimus: *καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος*. Quâ cum promissione quod copulata veniae peccatorum impetrandae spes ostenditur, id ejusmodi significari, quales diximus, plagas docere videtur.

Προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Vix opus est ut moneam, quam exquisitus usus sit Mediae formae *προσκαλ.*, *ad se, suam in consolationem auxiliumque advocet.* Sed longe alia imprimis hîc nobis est excutienda quaestio. Quum enim supra, II. 2, lectorum *συναγωγή*, hîc vero *ἐκκλησία* nominetur, item quum, III. 1, *διδάσκαλοι*, hîc autem *πρεσβύτεροι* memorentur, neutro cum loco superiore nostrum hunc concinere arguit RAUCHIUS; priora enim bina dicta, familiam describere, Judaeorum adhuc synagogis usam necdum praesides habentem ac doctores legitime constitutos, haec

contra, de quibus nunc agimus, monita, *Christianorum* coetus ponere, a *Judaeorum* consortio plane jam sejunctos ac bene ordinatos. Ex quâ igitur, quam sibi reperisse videtur, locorum pugnâ non ab ipso epistolae Auctore, sed ab alienâ eâque recentiore manu hanc, quae plane discrepantia habeat, ei adjectam esse clausulam efficere conatur Vir doctus et ingeniosus.

Jam huic objectioni ita nonnulli, in quibus HAGENBACHIUS, occurrere conantur, ut συναγωγῆς nomen *generale* habeant, quod qualemcunque *conventûs locum* notet, atque igitur *Christianorum* etiam indicare possit consessus. Quâ vero in solutione nos acquiescere non posse ex iis apparet, quae hâcce de voce, quae in N. F. signato ac definito usu de loco dicatur, ubi sacra sua celebrarent *Judaei*, supra ad II. 2 disputavimus. Neque est tamen quod hîc nodum in scirpo quaeramus. Nihil enim obstabat quominus Judaeo-Christiani, quamdiu nec ipsorum valde increverat numerus nec a civibus plane excludebantur, et horum synagogas frequentarent, et fraternos simul sibique privos haberent, Domino suo consecratos, consessus. Quod revera ita se habuisse docet Introitus. Τοὺς πρεσβυτέρους autem, quamvis mature scripta sit epistola, ignorare non potuisse *Jacobum*, recte monente HAGENB., luculenter apparet ex *Actt. App.* XX. 7 et XXI. 17. Neque est profecto, quod eos cum διδασκάλοις illis, quorum arrogantia, III. 1, reprehensa erat, in certamen adducamus. Neque enim hi, qui, nullo munere functi, et alibi et in synagogis, *doctores* sese ferebant, cum Christianorum *presbyteris*, qui ad aegrotantium lectulos advocandi erant, quicquam commune habebant.

Καὶ προσευξάσθωσαν — Κυρίου. Quod legimus ἐπ' αὐ-

τόν [1]) commode potest explicari, solennem per benedictionem *manibus super eum extensis* vel ei impositis. Quam interpretationem vel probârunt vel certe non improbârunt SCHNECK., THEIL., HUTH. et vero, quem hâc potissimum in caussâ non ultimum dicere debueram, WINER.[2])

Ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ. Non putaverim, secundum GEBS. aliosque, tanquam sanitatis recuperandae remedium *oleum* hîc commendari; quippe cujus symbolum potius esset habendum. Etsi enim in Oriente medicamenti loco usurpari solitum esse oleum non ignoro, non video tamen quomodo, tanquam *πανάκειον* aliquod, aegrotis id adhibendum commendare potuerit Apostolus. Tum quod additur *Domini in nomine* id faciendum esse, religionis hoc potius, quam medicinae curam indicare videtur. Quae quum ita sint, rectissime jam interpretes monuerunt Nederland. Qui: „*Non arcana quaedam vis*," inquiunt, „*oleo tribuitur; sed extraordinarium hoc erat signum, quo* „*per Christum ejusque doctrinae confirmandae caussâ haec* „*patrari miracula appareret. Sic Ille sputo, Apostoli oleo* „*usi sunt. V. Marc.* VI. 13." — Non erat profecto quod in Marcino illo ac Jacobeo nostro loco *extremae*, quam vocant, *unctioni* praesidium posteriora quaererent tempora. Illa enim, cujus utroque loco mentio fit, unctio extraordinariam sibi conjunctam habebat, quae apostolici aevi priva ac propria erat, morborum quorundam sanationem. Ea contra, quae illi suffecta est, recentior unctio tum demum, ubi ultima vitae hora morbida vi-

1) Plurale quidem *αὐτοὺς* substituit *Sin.*; sed *sing.* *αὐτὸν* recte restituit Corrector.

2) Pag. 363 in annot.

detur instare, ei adhiberi consuevit. Ne dicam quam absurdum sit, externo ejusmodi cum actu animorum salutem connexam putare.

Ἐν τῷ ὀνόμ. τοῦ Κυρίου. Hoc ut cum praecedenti ἀλείψαντες potius, quam cum remotiore προσευξ. connectamus, verborum ordo suadere videtur ac structura. Quamquam uterque actus et deprecandi et ungendi arcte conjungi solebat et ita eodem fere tempore institui, ut ejusdem *Domini* Christi *nomen* atque auxilium solenniter *invocaretur*. Hoc enim potius significare adjecta videtur locutio ἐ. τ. ὀν. τ. Κυρίου, quam, sicuti GEBS. aliique explicant, precantes *tanquam Christiani*, ea petentes quae Christi caussâ poenitentibus impertire vult Deus, coll. *Joann.* XIV. 13 et XVI. 23.

Fuisse videntur in priscae Ecclesiae presbyteris, qui illud haberent χάρισμα ἰαμάτων, quod *Paullus* memorat 1 *Corinth.* XII. 9. Atque attentione certe non indigna est SCHNECKENBURGERI animadversio, ideo potissimum ab aegrotis *presbyteros* vocari voluisse Jacobum monentis, ne *charismatum*, quae nonnulli etiam alii haberent Ecclesiae socii, tumultuario usu magis etiam ordo turbaretur, per *docendi* pruritum jam turbatus ille.

SECT. 15.

Ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως. Sine dubio preces hae sunt *ex fide profectae cum eâque conjunctae.* Jam possis quidem generaliore notione, cum GROT., SCHNECKENB., aliisque, fidem intelligere Christo habitam. Nescio tamen an praeferenda sit HUTHERI sententia, quae de certâ spe ac piâ fiduciâ fore ut exaudiantur preces vocem explicat. Ita

certe supra, I. 6, ubi item de precatione agitur, *πίστιν* dixerat Auctor. Proxime hîc ad *presbyterorum* deprecationem respici docent antecedentia. Cui tamen ne nimium tribui videatur, omnino nobis tenendum est ab Apostolo conjunctam eam cogitari ipsorum aegrotorum cum fide, quam illa excitare posset deprecatio et augere. Ejusmodi enim hîc informantur morbidi homines, qui et arcessendis presbyteris consolationis, a Christo accipiendae, cupidos se demonstrâssent ac sua imprimis peccata sincere confiterentur eorumque verâ poenitentiâ ducerentur. Cf. omnino sect. 16 initio. Nec profecto frugifera, Apostoli ex mente, haec futura erat presbyterorum opera, nisi piae preces accederent aegrotantium. Nam ad hos singulatim pertinebat quod, sectione 13[a], omnibus sine discrimine miseris praeceptum erat. Haec nunc jam mihi monenda videbantur, ut objectiones, ex iniquâ loci interpretatione natas, diluerem.

Σώσει — ὁ Κύριος. Per bina haec membra ita mihi divisa videtur sententia, ut ex altero supplendum sit alterum. Quo facto plenum ita sonabit dictum: „propter fidentes has preces aegrotantem servabit Dominus ac sospitem eum de lecto excitabit." Multi sunt qui improprie haec de *animi* conservatione ac salute accipiant. Pejore etiam ratione alii duplicem hanc commendant interpretationem, ut *primum de restituendâ corporis valetudine* dicatur, *tum de altiore animi restitutione.* Sic enim suam aliorumque sententiam, quam praeiverat jam LYRANUS, explicat SCHNECKENB. Et illos vero et hos recte refutant JACHM. et HUTH. Verb. *σώσει* enim explicatur per *ἐγερεῖ*, quod de lectulo, in quo decumbebat aegrotus, salvum sanumque eum excitatum iri satis manifesto

indicat. Tum quod sect. 16 subjicitur ὅπως ἰαθῆτε de corporis sanatione ejusque morbo depellendo hîc agi docet.

Κἂν — πεποιηκώς, *etiamsi eâ sit conditione ut peccaverit.* Ita participii cum verbo subst. vim quodammodo reponere possumus. Magno autem hoc dictum est documento de ejusmodi singulatim morbis agi, quos atrociora per flagitia sibi contraxissent aegroti. Quum enim *in multis omnes nos hallucinari* supra III. 2 diserte professus esset, non poterat num omnino peccâssent aegroti dubitare Auctor. Ἁμαρτίαι igitur, quae hîc memorantur, illa ipsa sunt, *ex quibus exstiterant morbi, peccata.*

Ἀφεθήσεται αὐτῷ, quicquid commiserit *illi condonabitur*, cujus condonationis in signum depelletur morbus, ac sanabitur. Ita recte haec supplevit CLARISS. *Sing.* enim ἀφεθήσεται, quod cum *plur.* ἁμαρτίας construi nequit, vere monente SCHNECK., ad τὸ πεποιηκέναι ἁμ. referendum est.

SECT. 16.

Ἐξομολογεῖσθε [1]) κ. τ. λ. De iis singulatim confitendis agi delictis, quorum poenas esse *morbos* sentirent, ex universâ patet oratione contextâ. Neque igitur quicquam hîc de omnium peccatorum *confessione* praecipitur, quae vocatur, *sacramentali.* Atque hinc etiam hujusmodi audiendae confessionis presbyteris quidem imprimis, sed minime solis iis, jus dari videmus. Candida autem haec

---

1) Quo arctius necteretur oratio, post h. v. inseruerunt οὖν A. B. *Sin.* K. aliique non pauci. Quos sequitur LACHM.; non item GRIESB. et TISCH. Recte hi.

17*

peccatorum confessio non aegrotantis solum animum demonstrabat poenitentem, nec raro conscientiae, quibus morderetur, reprehensiones levabat; sed fidei etiam socios ut cautius ac religiosius mali fugerent illecebras adducere poterat; viris piis bonisque, sive presbyteris seu aliis, qui confitentem audiebant aegrotum, paratam praebebat eum et consolandi et adhortandi opportunitatem; tandem ad sapienter instituendas, quibus pro eo Deum adire vellent, preces viam indicabat ac rationem.

Ὅπως ἰαθῆτε non cum solo connectitur Imperat. εὔχεσθε, sed cum universâ potius, quae praecesserat, admonitione. Caeterum, eam cujus impetrandae hîc spes ostenditur *sanationem* et plerique Catholici nec pauci alii interpretes improprie denuo accipiunt. Nec desunt qui hîc etiam *duplicis*, quem supra diximus, *sensûs* patronos se ostendant. Ego vero certissimam hanc esse censeo Hermeneutices regulam, quae tum demum a verborum proprietate interpretando recedere praecipit, ubi vel aliae caussae, ex rerum dictorumque naturâ ductae, vel contexta oratio qualiacunque praebeant, *tropicae*, quae obtineat, locutionis indicia. Hîc igitur, quum dictorum natura nihil habeat, quod improprie locum capere suadeat, sola litem dirimat oportet contexta oratio. Ea autem, unâ ac continuâ serie, et *morbos* memorat et *preces unctionemque*, quibus eos depulsum iri miseri hominis spes aleretur ac fiducia confirmaretur, et tandem illorum *sanationem*. Jam vero fidenter quaero, num permittat res et ratio, quum singula illa priora *proprie* sumamus, solam illam *improprie* dictam censere morborum sanationem?

Πολὺ — ἐνεργουμένη. Quanta sit interpretum, in ultimâ hâc voce explicandâ, dissensio ex sententiarum diversitate apparet, quam accurate DE-WETTIUS recensuit et HUTH. *Ille* igitur, quem *hic*, quod miror, sequitur, preces esse censet, *quae agentes sunt, agendo sese produnt*, [1]) e. g. ad aegroti petendam sanationem. Quae vero interpretatio, si vel alibi valeat, quod non nego, hîc certe tenuem parit ac frigidam sententiam. Neque enim sine absurditate preces cogitari possunt *non agentes*, i. e. non precantes, nihil a Deo petentes. Itaque partic. ἐνεργουμένη, cujus mihi non negligenda videtur *Media* forma, eâ potius est δέησις, *quae sese demonstrat* ἐνεργήν, *efficacem*, quae igitur *ardens* est ac *fervida*. Est eadem ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως, ineunte hâc sect. memorata.

Ejusmodi has esse preces pro aliis, quibus illi ipsi assentiantur ac comites sese dent, supra jam monuimus. Eas autem *multum valere* jure dixit Apostolus. Universe enim pias preces exaudire velle Deum constans est Christi et Apostolorum doctrina. Si vero fervide atque ardenter a fidei sociis mala deprecantes, fraternum, quo ferimur, demonstramus amorem, non minus accepta profecto Deo haec erit deprecatio, nec minore Illius benevolentiâ utetur ac favore, quam illa, quibus nostra ipsorum commoda petimus, vota ac preces. Tum ejusmodi, qualem hîc misero pro fratre ad Deum convertere jubet Apostolus, deprecatio, pie ac sapienter instituta illa, et afflicti hominis salutariter movere poterit animum, et ipsum efficaciter de officio monere deprecatorem non solum Deo

---

1) Germ. *Ein wirkendes Gebet, ein Gebet, wenn es sich in Wirksamkeit setzt.*

illum commendandi, sed pro virili etiam parte operâ, auxilio, consilio adjuvandi atque erigendi.

Ita igitur locum explicantes, quoad summam rei optimos quosque consentientes habemus interpretes. Quorum si sequimur rationem, nihil hîc jubetur, quod vel Cap. I sect. 5 repugnet, vel quod deprecationi pro aliis superstitiosam ejusmodi vim tribuat, quae secundum in seculum melius conveniat, quam Apostolorum in aetatem. Et illud quidem et hoc, consentiente GABLERO, loco objicit RAUCHIUS. Sed iniqua haec est, si quae alia, objectio. Si enim, ineunte epistolâ, sapientiam, quâ pie ferat aerumnas, a Deo petere jubetur ὁ περιπεσὼν ποικίλοις πειρασμοῖς, nihil quicquam hoc continetur praecepto, quo vel illi interdicatur ne presbyteros arcessat, qui apud Deum pro se intercedant, vel his ne ejus desiderio morem gerant. Nec vero ab Apostolo requirendum erat, ut, sicuti in disputatione philosophâ aut theologicâ, ita in epistolâ, uno eoque continuo loco totum de *precibus* caput pertractaret. Huic nostro autem, in quo versamur, loco, nisi certe interpretando pervertatur, nihil inest, quod vel Christi praeceptis repugnet vel superstitionem alat vel ab aevo abhorreat apostolico. Quo ipso etiam aevo *Paullus* Apostolus, a nullâ non aversus superstitione, non raro fratres, ut sui caussâ precibus coelestem apud Patrem intercederent, enixe rogabat. Neque aliud erat seculum, quo *Joannes*, intimus ille Christi amicus, ea de precibus, quae alienam peterent salutem praecipiebat, Jacobeis cum praeceptis plane concinentia, quae 1 *Joann.* V. 16. 17 consignata legimus. Caeterum ea etiam consulantur, quae ad memoratas diluendas objectiones monuerunt HAGENBACH. et THEIL.

sect. 17. 18.

Nullis, ut assolet Auctor, oratione ligatâ vinculis, praecedentibus haec subjecta videmus. Nec tamen obscura horum cum illis est connexio. Precum enim, quibus pius aliquis Deum adeat homo, magnam esse vim easque, quod modo antea dixerat, πολὺ ἰσχύειν, luculento docet, quod plurimum apud lectores valeret, exemplo. Hi enim nullius, post ipsum Moïsem, Prophetae memoriam majore veneratione prosequebantur, quam illius, qui hîc laudatur, *Eliae*.

Quod, ineunte sect. 17, nobis ὁμοιοπαθὴς vocatur Propheta, adjectivi notionem non plene POTTII reponit atque HOLLINGERI explicatio, ex quâ nihil sit, nisi *nostri similis*. Est potius *qui eadem patitur, iisdem*, quibus nos, *affectibus laborat atque infirmitatibus*. Omnino *Paulli* ac *Barnabae*, quos Deorum in numero habebant Lystrenses, comparandum est dictum, *Actt. App.* XIV. 15. H. l. autem valde opportunus hujus potissimum epitheti est usus, quo magis cum iis, de quibus quum maxime agebatur, precibus, utut diversa essent, *Thisbitae* vota comparari posse eluceret.

Προσευχῇ — μὴ βρέξαι. Quod *magnâ cum animi contentione atque agitatione precabatur*, id hebraïzans enuntiat locutio προσευχῇ προσηύξατο. Ubi scripta exstat historia, 1 *Regg.* XVII. 1, trium annorum spatio nullam de coelo demissum iri pluviam, Achabo jubetur Elias *annuntiare*. Neque igitur precibus id ipse *petiisse* Vates diserte dicitur. Verumtamen hoc eum fecisse probabile est, quum praesertim, proximo capite, 1 *Regg.* XVIII. 42, eodem petente Eliâ pluviae beneficium denuo terrae

impertitum esse memoriae prodatur. Hoc autem si cui forte non satisfaciat, id certe concedat oportet, intercedente illo factum esse, ut magno demum temporis intervallo tellurem irrigaret pluvia. Quae igitur illius *intercessio* liberiore ac minus definito *precum* nomine ab Auctore designari potuit. Quae quum ita sint, haud sine iniquitate sacrâ cum historiâ hoc illius dictum pugnare contendit GEBS.

Καὶ οὐκ ἔβρεξεν — ἕξ. Quae pluviâ caruisse dicitur, *terra*, non opus est ut totam fuisse Palaestinam censeamus. Neque enim ultra regni Ephraïmitici fines sese extendisse videtur calamitas.

Eâdem, quâ hîc *Jacobus*, ratione deficientis pluviae tempus ipse definit JESUS-CHRISTUS, Luc. IV. 25. Neque, quod denuo objicit GEBS., huic utriusque definitioni repugnat historia. *Tertio* quidem *anno* pluviae reditum sperari posse praedicentem audimus Eliam, 1 *Regg*. XVIII. 1. Verum, quod recte post alios monuit VAN-DER-PALMIUS [1]), nihil est quod *tertium* illum *annum* ab eo tempore computare vetet, quo ad Sarphaticam viduam sese contulerat Propheta. Continuos tres per annos stata defecerant atque ordinaria tempora humida. Verum proximis etiam, ante nefasti illius triennii initium, mensibus, ex ordinariâ anni tempestatum in Palaestinâ vicissitudine ac successione, nihil aquarum in Ephraïmum nubes effuderant. Universe igitur três cum dimidiato, quibus pluviae defectu terra laborâsset, anni abierant. Quod si attendimus, V. F. historiam cum utroque, quod attigimus, N. F. dicto bene concinere videbimus.

---

1) Quem et ad h. 1 *Regg*. l. confer et in *Bibl. adolescentt*. XIII. 88 primae ed.

Sect. 18 verba quidem nullam nobis objiciunt difficultatem. [1]) Verum in h. l. ita GEBSER. aliique argutantur, ut, quas hîc comparatas videmus res, eas non similes esse neque igitur recte conferri potuisse statuant. Sed hoc quidem nemo facile negabit per ea, quae Eliae ex historiâ afferuntur, egregie illud confirmari, quocum proxime connectitur, sect. 16 effatum: *multum justi preces valent.* Porro iis, de quibus hîc agebatur, non omni plane ex parte similes Eliae fuisse preces facile largior. Verum quis sine iniquitate a comparatione requisierit, ut duabus in rebus aut factis utriusque omnia sibi invicem respondentia monstret? Nec sane obscurum hîc est simile sive, quod vulgo vocant, *tertium comparationis.* Ubi teneas oportet cum alterâ imprimis Prophetae deprecatione collationem institui. Deprecante enim illo factum erat ut, quae veluti occlusum tenuerat coelum, ab Achabo ejusque populo averteretur poena. Sic quoque spes erat fore ut, piis intercedentibus presbyteris aliisque fratribus, morbi, graviorum peccatorum caussâ immissi, depellerentur.

Sed acrius etiam h. l., ut in spuriae originis suspicionem eum adducat, aggreditur SCHULT. Neque enim eum ab *Apostolo* laudari potuisse contendit Prophetam, cujus factum aliquod, narrante *Lucae* Euang., IX. 54 sq., *Christus* improbâsset. Enimvero non Eliam, sed suos ibi discipulos reprehendit Dominus, a quibus sibi, ad omnia alia vocato, illius imitandum proponeretur exem-

1) Certissime enim testata recepta est lectio ὑετὸν ἔδωκε, cui in B. G. K. aliisque tantum non omnibus praesidium est. Paucissimi sunt, in quibus A et *Sin.*, qui inverso ordine scribant ἔδ. ὑετ. Quod ante ὑετόν art. τόν idem ponit *Sin.*, hunc sibi privum habere videtur errorem.

plum. Sed si vel, quod discipuli memorabant, factum a Domino improbatum esse concedamus, minime tamen hinc sequitur Jacobo non licuisse, aliâ in re, benevolentissimo potissimum consilio, comprobatas exitu memorare ejus preces, ut ad mala morbosque a fidei sociis deprecandos adhortaretur, quos hîc compellabat, Christianos. [1])

sect. 19. 20.

Cum iis haec cohaeret adhortatio, quae, sect. 16, de lectorum officio monita erant fratrum, qui, morbis decumbentes, peccatorum poenas luerent, suppliciter a Deo petendi sanationem. Eorum igitur telam, per *Eliae* excitatum exemplum paullisper interruptam, ita hîc resumit Auctor, ut nullam non iis operam dandam esse doceat, quâ eos, quos sanandos Patri luminum commendabant, aliosque peccatores ad fidem pietatemque reducere conarentur.

'Αδελφοὶ [2]), *ἐάν τις — ἀληθείας*. Qui supra, I. 18, paullo plenius vocabatur *λόγος ἀληθείας*, idem hîc, nec raro alibi in N. F., unâ voce audit *ἀλήθεια*, *vera*, quam plures profitebantur lectores, *doctrina*. In magno a fide desciscendi periculo versatos esse Christianos omnia docent. Haec autem defectio quum per se jam peccato

---

1) De hâcce objectione vidd. THEILII *prolegg*. p. LIV.

2) Post h. v. pronom. *μοῦ* inserunt A. B. *Sin*. K aliique multi. Quod quidem glossema, ex sect. 12 aliisque ex locis ductum, in textum recepit LACHM., recte vero plerisque cum Criticis repudiavit TISCH. — Alterum ejusdem hujus sect. glossema, quo ante vv. *τῆς ἀληθείας* inculcatur *τῆς ὁδοῦ* soli, quantum novi, debetur *Sinaitico*.

minime vacaret, tum ad alia etiam committenda delicta nimis facilem parabat viam. Neque igitur mirum, qui hîc πλανηθεὶς ἀπὸ τ. ἀ. dicitur, eundem mox ἁμαρτωλόν vocari. — Καὶ — αὐτόν, *ad fidei constantiam eique junctam vitae sanctitatem si quis eum reduxerit.*

Sect. 20, ἐπιστρέψας ad ἐπιστρέψῃ, item πλάνης ad πλανηθῇ tam manifesto respicit, ut qui hîc non ipsissimam agnoscat *Jacobi* manum, plane eum ignorare censendus sit. Quod eo accuratius nobis est attendendum, quo confidentius ab eo h. l. abjudicant nonnulli.

Γινωσκέτω, *cognoscat* ille ac perpendat, quo majore lapsum erigendi desiderio feratur atque incitetur, quo studiosius igitur et quo constantius in hoc versetur amoris officio. Quod, sect. 19, uno enuntiatum erat voc. ἐπιστρέψῃ, id plenius hîc ac copiosius effertur: ἐπιστρέψας — αὐτοῦ. Post vocem ψυχήν cod. A genitivum addit αὐτοῦ vel αὑτοῦ, atque ante eam idem inserit art. τήν. In priore tuendâ caussâ plures socios habet codd., in quibus utrum sit B non constat inter Criticos; est certe *Sinait.* Atque eundem genit. plures exprimunt verss. Male sine dubio; manifestum enim hoc esse glossema tam perspicue ostendit REICH., ut non opus sit illius quicquam addere disputationi. Art. τήν longe pauciores habent testes eumque ne ipse quidem recepit, qui pronomini locum dedit, LACHM. Recte igitur fecit TISCHEND., ab hâc certe interpolatione vindicans epistolam; cujus clausulae quam apta sit et quam consentanea ψυχῆς, nude atque absolute positae mentio, recte jam vidit ESTIUS. Ἐκ θανάτου, ex illâ vitae futurae miseriâ, quae nullo veriore, quam *mortis*, nomine dici potest. Cf. I. 15 in fine. Mihi quidem non arctus solum, sed plane ad-

C...
lecto...
cumb...
Deo p...
excitatu...
sumit A...
doceat, ...
dabant, a...
cere conar...
'Αδελφοὶ ...
paullo pleni...
raro alibi in ...
plures profitel...
desciscendi pe...
cent. Haec a...

1) De hâcce objec...
2) Post h. v. pro... Quod quidem glossema... tum recepit LACHM., rec... Alterum ejusdem hujus... culcatur τῆς ὁδοῦ ...

... [illegible] cum iis, quae, sect.
... [illegible] dicta erant. Pu...
... [illegible] morborum, quibus f...
... [illegible] inquisitionem a Patre O.
... [illegible] corpore caduco animus ...
... [illegible] erat atque opt...
... [illegible] vindicare ac servare.
... [illegible] Quae hic memora...
... [illegible] putant interpretes ...
... [illegible] ad meliorem ...
... [illegible] sententia: ... efficie...
... [illegible] extra de officio ...
... [illegible] peccata, eorum ...
... [illegible] Interr...
... [illegible] recentiorum par...
... [illegible] in hic acquiescunt ...
... [illegible] veritate nemo possit dubitare
... [illegible] defuerunt qui ipsius potius ...
... [illegible] statuerent. Quorum ...
... [illegible] explicandus: „Si quis ...
... [illegible] pietatemque eum reduxer...
... [illegible] acceptus Illi erit hic ...
... [illegible] propterea et ...
... [illegible]
... [illegible]
... [illegible]
... [illegible] quibus ...
... [illegible] sententiam ...
... [illegible] objiciunt ...
... [illegible]

moratae essent, [illegible]
natibus pretium [illegible]
non sit tribuendum. [illegible]
aliquis, si cum altero [illegible]
delicta, non ei tamen [illegible]
vitiis immunis sit neque [illegible]
Dictum autem, ita acceptum [illegible]
non satis convenire [illegible]
nomine reprehendendum [illegible]
gimus, effatum: [illegible]
quae notavimus. Quid quod [illegible]
robari sibi habitam *fidem*, quae [illegible]
os efficientiâ demonstretur, [illegible]
omnium luculentissime [illegible]
limus, *Matth.* XXV. 31 sqq. Quamquam [illegible]
uis solum aliorum commodis curandis [illegible] Verum
summo certe jure concludere licet majore etiam [illegible]
ino curam fieri, quâ fratrum aeternae saluti prosp-
conemur. Videant igitur, qui hâc objectione [illegible]
am petunt loci explicationem, ne ipsum, [illegible]
a se habendo professum, Christum [illegible]
quum ita sint, mihi adhuc eorum [illegible]
qui ipsius τοῦ ἐπιστρέψαντος [illegible]
Eam si sequamur, quam [illegible]
a, non concinna exsistat, [illegible]
riptorem exspectaveris, [illegible] *gradatio*, [illegible]
otius et frigida majore a re ad minorem *descensio*,
ικλίμακα vocare licet. [illegible]
teritu frater *servavit*, [illegible]
nidandus fuerat, si [illegible]
s condonatum iri delicta [illegible]

mirabilis loci nexus esse videtur cum iis, quae, sect. 15. 16, de *corporum sanandorum* spe dicta erant. Pulcrum quid sane erat ac magnum morborum, quibus fratrum corpora premerentur, depulsionem a Patre O. M. impetrare. Sed quantum corpori caduco animus antecellit immortalis, tanto praeclarius erat atque optabilius ab imminente interitu ψυχήν vindicare ac servare.

Καὶ καλύψει πλ. ἁμαρτιῶν. Quae hîc memorantur *peccata*, ea esse longe plerique putant interpretes, quae homo olim commiserat, fratris operâ *ad meliorem frugem jam conversus*. Haec igitur sit sententia: „efficiet ὁ ἐπιστρέψας, ut ille, quem salutari exitu de officio admonuerit, quamvis multa commiserit peccata, eorum tamen a Deo veniam impetret." Ita post OECUMEN. Interpretes Nederl., GROT., WOLF. ac maxima recentiorum pars, quorum non nulli tam secure in hâc acquiescunt dicti interpretatione, ac si de ejus veritate nemo possit dubitare. — Nec tamen ab aevo defuerunt qui ipsius potius τοῦ ἐπιστρέψαντος peccata respici statuerent. Quorum ex sententiâ sic fere locus est explicandus: „Si quis, lapsi amore impulsus ad fidem pietatemque eum reduxerit, ita Deo hoc placebit, tam acceptus Illi erit hic amoris fraterni conatus, ut multa propterea ei delicta condonet." Ita post CASSIODORUM ac BEDAM, ERASMUS, AUGUST., REUSZ., in singulari aliquâ comment. VAN-DER-PALMIUS. Sunt etiam qui utramque quodammodo conjungant explicationem. In quibus SCHNECK. et CLARISS. — Eorum, qui peccata τοῦ ἐπιστρέψαντος, quibus speranda sit condonatio, significari existimant, sententiam alto supercilio repudiant JACHM., GERS., WIES. Cui objiciunt, vel hîc denuo δίκαιον induci, *peccato non inquinatum*, cujus preces sect. 16 exeunte me-

moratae essent, vel adeo tantum ita beneficis ejus conatibus pretium tribui, quantum Christi ex doctrinâ ei non sit tribuendum. Enimvero quamvis δίκαιος dicatur aliquis, si cum altero comparatur, qui atrociora commisit delicta, non eâ tamen, credo, erit sanctitate, ut omnino vitiis immunis sit neque eorum indigeat condonatione. Dictum autem, ita acceptum, si Christi cum doctrinâ non satis convenire censeatur, multo etiam magis hoc nomine reprehendendum erit, quod supra, II. 13[b], legimus, effatum: κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, ubi vidd. quae notavimus. Quid quod ipsi Christo eam demum probari sibi habitam *fidem*, quae *amoris* erga naturae socios efficientiâ demonstretur, et aliis ejus appareat effatis et omnium luculentissime ex iis, quae dicentem eum audimus, *Matth.* XXV. 31 sqq. Quamquam ibi de externis solum aliorum commodis curandis agitur. Verum hinc summo certe jure concludere licet majoris etiam a Domino curam fieri, quâ fratrum aeternae saluti prospicere conemur. Videant igitur, qui hâc objectione memoratam petunt loci explicationem, ne ipsum, talia de judicio a se habendo professum, Christum reprehendant. Quae quum ita sint, mihi adhuc eorum praeplacet sententia, qui ipsius τοῦ ἐπιστρέψαντος peccata significari putant. Eam si sequamur, quam priorem memoravi, rationem, non concinna exsistat, qualem disertum hunc apud Scriptorem exspectaveris, orationis *gradatio*, sed inficeta potius et frigida majore a re ad minorem *demissio*, quam ἀντικλίμακα vocare licet. Peccatorem enim si ab aeterno interitu frater *servavit*, qui sola propter peccata ipsi reformidandus fuerat, si *ψυχὴν σώσει ἐκ θανάτου*, *multa illius condonatum iri delicta* ita sponte apparebat,

ut id moneri nihil attineret. — Ac magnum etiam praesidium ea habet, quae *τὸν ἐπιστρέψαντα* respici putat, interpretatio simillimo in loco, 1 *Petr.* IV. 8[b]; ubi, ex meliore quidem testium lectione, futuro *καλύψει* in praesens *καλύπτει* mutato, scribendum videtur: *ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν*. Sed eadem manet sententia, quae Jacobei hujus loci manifestam habet imitationem. Illic autem, ubi nullius alterius delicta, de quibus cogitari posset, memorata erant, *πλῆθος ἁμαρτιῶν* non potest non solis iis tribui, ad quos ut se invicem intenso prosequerentur amore convertebatur cohortatio. Nisi igitur vel non recte a *Petro* intellectum esse *Jacobum* vel in alienam sententiam ab *illo* hujus tractum conversum esse statuamus, quod nemini placiturum esse confido, hîc quoque non *τοῦ πλανηθέντος*, sed potius *τοῦ ἐπιστρέψαντος* peccata respici censenda sunt.

Rauchium fuisse unumque item et alterum, ei assensum, supra vidimus, quibus ita ultima scripti particula displiceret, quae Cap. V, a sect. inde 12, ei subjecta exstat, ut seriori cuidam sive auctori seu interpolatori eam tribuendam opinarentur. Quorum in objectionibus quum aliae sint, quibus singula quaedam dicta petantur, aliae, quibus universi loci germana impugnatur origo; *illarum* refutationem, sicuti opus erat, cum earum, quo pertinebant, sectionum interpretatione conjungere conati sumus, ac plerasque ex iniquâ earum aut perversâ exstitisse explicatione demonstrare.

Nec vero graviora vel argumenta sunt vel captiones, quae ad universi, quem diximus, epilogi vel argumentum vel formam referuntur. Quod enim idoneum hîc sententiarum nexum desiderant; si vel nullus intercederet,

quid inde? Nonne *Jacobo* idem facere licuit, quod *Paullum*, et alibi et in *priore ad Thess. ep.*, fecisse novimus, ut suis ipse, finem fere attingentibus, litteris generalia quaedam monita subjiceret, nec cum superioribus nec secum invicem ullo arctiore vinculo conjuncta? Apud nullum id potius exspectaveris scriptorem, quam apud eum, cujus plura etiam, quae epilogum antecedunt, apophtegmata acumine suo ac brevitate vel *Salomonis Proverbia* in memoriam nobis revocant vel *Jesu Siracidis* ac *Sapientiae Sal.* libros. Sed ne opus quidem est ut hanc, quamvis justam ac legitimam, *epistolae* hujus, non *disputationis*, Auctori vindicemus facultatem. Minime enim tam dissolute ac male ordinate, quam arguunt, veluti sacco effusa, esse haec monita luculenter nobis constitit. Etenim vel in superioribus ea fundabantur vel, sponte inde manantia, erant corollaria, vel praecepto certe illorum cum argumento ac consilio plane congruentia.

Porro ea hîc dici contendunt, quae opportuniorem alibi sedem inventura fuissent neque ab iis, quae praecesserant, cognati argumenti praeceptis sejungi debuissent. Enimvero videant oportet ne quod uni clausulae objiciunt crimen in totam conveniat epistolam. Nam quod verissime docent HAGENB. et SCHOTTIUS, liberius ejusmodi dicendi genus passim sequitur Auctor, quo fiat, ut pluribus locis, modo sic modo aliter enuntiatae, recurrant eaedem sententiae primariae. Cujus rei ecce pauca ex pluribus, quae afferri possent, exempla. Quae de linguae ac loquelae abusu breviter dicta erant, I. 19 et 26, ea copiose demum et datâ operâ videmus exposita III. 1 et multis sequentibus. *Divites*, qui jam, II. 6, reprehensi erant, severius iterum castigantur V. 1 sqq.

De *precibus*, quibus vel recte vel secus Deus adeatur, et I. 5—8 agitur et denuo IV. 3. Tandem, ne plura memorem, ne maledicendo sese invicem laederent, graviter jam moniti erant lectores, IV. 11, sed alterâ vice idem interdicitur malignitatis vitium, V. 9. — Tandem iniquior etiam haec est loci reprehensio, quod vel ejus dicendi genus vel singula nonnulla vocabula a Jacobeo scribendi more, in superioribus conspicuo, abhorreant aut certe ei non satis conveniant. Hanc enim objectionem tam accurate et laudati Duumviri et THEILIUS diluerunt, ut nihil magnopere quod addatur habeam [1]). Hoc equidem asseverare non vereor. Quo majorem quis, saepe relegendâ et penitus imbibendâ epistolâ, cum Jacobo notitiam contraxerit ac familiaritatem, eo lubentius ipsum eum nec alium quemquam locum redolere Auctorem nobis assentiet. Dicendi enim generis, quod ipsi proprium fuisse superiora docent, tot eaque ita manifesta hîc reperiet indicia, quibus nec plura nec certiora paucis his imprimi potuerint sectionibus, ubi eadem, quâ universum cernitur scriptum, dictio, modo concisa, modo copiosa eadem, abrupta, graphica, sententiosa. Non aliter, quam supra, praecedentibus non raro, quae sequuntur, aut eadem aut conjugata nectuntur vocabula ad eaque respicere jubent. Nec diverso modo hîc et illic ita memoratos videmus externos corporis gestus actionesque, ut intimorum animi sensuum ac commotionum imagines sint et significationes. Ne de *Eliae* precibus denuo dicam, sicuti supra *Jobi* ac Prophetarum facta ac fata indicata erant, ita plane h. l. memoratis. Quocirca hunc in mo-

1) GEBSERI etiam consulenda est annot. ad p. 395 sq.

dum rationem concludere licet. Vel hanc epistolae clausulam ipse adjecit *Jacobus*, vel imitatorem habuit atque interpolatorem, cujus miraculi fere instar ars habenda esset ac calliditas, quâ alienis sua, germanis supposititia, vetustis novitia conformare potuerit atque assimilare. — In quibus omnibus internae probabilitatis indiciis atque argumentis si quis forte acquiescere nolit hodierno dubitandi pruritu infectus Criticus, perpendat certe velim, ita haec in omnibus, quantum novimus, scripta aut reddita exstare codd. et verss. antiquis, ut plerumque hîc consentientibus testibus vix ulla gravior hîc nobis judicanda objiciatur lectionis varietas. Nec vero ullam comminisci possumus caussam, per quam factum sit, ut epistolae veluti vesti ab alienâ manu temere hic assueretur pannus.

Ne in criticâ hâc excutiendâ quaestione totius epistolae desinat interpretatio, digna sunt quae hîc etiam reposita legantur et ZWINGLII et HERDERI, postremum laudantium epilogi effatum, scita dicta ac verissima. *Ille* quidem: „*Insigni doctrinâ*," ait, „*veluti colophone epistolam absolvit*" Apostolus. *Hic* autem: „*Haec clausula*," inquit, „*sanctissimâ sigillum testamento imponit asseveratione* [1])."

---

1) A GEBS. etiam, p. 412, utrumque hoc laudatum est dictum. Linguâ Germ. ita sonat posterius; „*Der Beschlusz, die stärkste Versicherung, ist wie ein Siegel aufs Testament.*"

CONSPECTUS.